



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Disp. I [i.e. II]. De Sacramento Eucharistiæ secundum se,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

aliosque Episcopos Græcos misissent, ut contro-

17. Secundum testimonium sumitur ex Petro Ar-

Hoc quidem notandum fuit, non propter Lati-

Porro Græci Patres, uno excepto Marco Ephe-

A statim profert verba Cyrilli Jerosolymitani in Ca-

Tertium testimonium sumitur ex Synodo ha- 112.
bita Constantinopoli anno 1642. sub Parthenio
Patriarcha Constantinopolitano: cum enim à trig-
ginta ferè annis Batavi Cyrillum Patriarcham
Constantinopolitanum dolo fefellerint, & ab ipso
in extrema senectute constituto, suæ confessionis
fidei testimonium, manibus scriptum & firma-
tum accepissent, quod apud Batavos & Gallos
tanquam Orientalis Ecclesiæ unam sententiam &
fidei confessionem ostentabant: Tunc Parthe-
nius, Cyrilli successor, cum dolum & fraudem
animadvertisset, Constantinopoli anno 1642,
Concilium cogit in quo Calvinistarum doctrina
omnino proscripta est. Sic verò habet Censura
Concilii Articulo 17. Τελθειαν δε ευχαριστιαν εως
εσθητου ενου, ως μηδεν αυτη ετερον ει μη τυπος ψιδον
εγκαιλειση, ως αν ει τι τη σκια τε παλαιε νομει ελα-
νητομω ει γαρ φησιν εινα σωμα χριστου αληθινον τ ορω-
μχρον και εδωριμχρον αρτον ηδη αγιασθητα, αλλα το νοσ-
μχρον πνευματικως ει μαλλον ειπειν φωναιμχρον, ο πα-
σος ασεβητας αναπλων; ο γδ υιουος και εφωσε του το εστιν
ο τυπος του σωματος μου, αλλα του το εστι το σωμα
μου, και του το εστι το αιμα μου. ταυτε δηλαδη το ορω-
μχρον η λαμβανωριμχρον ε εδωριμχρον, και λαμβανωριμχρον αγια-
σθην ηδη ε εδωριμχρον. Divinam Eucharistiam ita
discerpi, ut nihil ipsi aliud, nisi figuram vacuam
relinquat, ac si adhuc umbra veteris legis servire-
mus. Non enim dicunt, panem quem jam sanctifi-
catum videmus, & manducamus, esse corpus Christi
verum; sed intellectum spiritualiter, aut potius
phantasticum; quod summa impietatis est. Non
enim Iesus dixit, hoc est corpus meum; sed hoc est
corpus meum; hic est sanguis meus: hoc scilicet quod
videmus, quod accipimus, quod manducamus,
quod frangimus, cum jam sanctificatum & benedi-
ctum est.



DISPUTATIO II.

De Sacramento Eucharistia secundum se.

Ad questionem 73. Divi Thomæ.

D E Venerabili Sacramento Eucharistia se-
cundum se considerato agit Divus Tho-
mas 3. parte quæstione 73. ubi de ejus
existentia, essentia, unitate, necessitate, institutio-
ne, nominibus, & figuris differit. De his pariter
in hac disputatione nobis agendum incumbit, in-
vocata prius hujus admirabilis sacramenti gratia,
verbis Divini Dionysii, qui capite 3. Ecclesiasticæ
hierarchiæ, actuarius de Eucharistia, sic præfatur.
O divinum penitus sanctumque mysterium, obducta
tibi signantium opera signorum, dignanter ape-
riens nobis, palam atque aperte luceſce, nosſrosque
Cc

spirituales oculos, singulari & aperto ualuis fulgore ample.

ARTICULUS PRIMUS.

In quo essentialiter consistat sacramentum Eucharistia, & pro quo supponat?

§. I.

Præmittitur quod apud omnes est certum, & referuntur sententia.

1. **E**ucharistiam esse verum & proprium novæ legis sacramentum, ut certum & indubitatum supponimus: licet enim hoc nomine in Scriptura non appellatur, ex ipsa tamen aperte colligitur, convenire Eucharistia quidquid ad rationem sacramenti pertinet; nimirum esse signum sensibile, à Christo permanentiter institutum, ad significandam & efficiendam gratiam. Dicit enim Joan. 6. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita,.... Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ubi nomine panis aliquid sensibile designatur, & per vitam, ipsa gratia, quæ est vita spiritualis animæ, significatur. Constantiter autem & permanentiter usque ad mundi finem institutam fuisse, significavit Christus Lucæ 22. quando post consecrationem addidit: *hoc facite in meam commemorationem.* Quod interpretans Paulus 1. ad Corinthios 11. *Quotiescumque (inquit) manducabitis Panem hunc, & calicem biberitis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat, in fine sæculorum, ad mundum judicandum.* Ergo ex Scriptura evidenter colligitur, Eucharistiam esse verum & proprium novæ legis Sacramentum. Quod ita manifestum est, ut Vazquez hic disputatione 167. cap. 1. fusè contendat, nullum hæreticum in speciali negasse Eucharistiam esse sacramentum; licet plures malè senserint de reali præsentia Christi in ea. Imò addunt aliqui ipsum Mahometum cap. 4. Alcorani fateri, hoc sacramentum esse veneratione dignum, ut notat Præteolus libro 11. verbo *Mahometes* prope finem nulla ergo de hujus sacramenti existentia est inter Catholicos controversia; sed gravis difficultas est in explicando, in quo consistat formaliter. Ratio dubii est, quia in hoc sacramento multa concurrunt, scilicet species consecratæ, verba quibus consecratur corpus Christi sub speciebus contentum, usus seu sumptio de quibus dubitari potest, utrum pertineant ad essentialiam hujus sacramenti, vel in quo ex illis consistat?
 2. In primis enim hæretici nostri temporis, Lutherani scilicet, Zvingliani, & Calvinistæ, existimant hoc sacramentum non consistere in aliqua re permanente, sed in solo usu, seu sumptione; ita quod sicut aqua in Baptismo non habet rationem sacramenti, nisi quando actu applicatur, ita (inquit) panis Eucharisticus non habet rationem sacramenti, nisi quando actu manducatur, non verò quando convertatur in paxide.
 3. Ex Catholicis verò, qui universaliter tenent hoc sacramentum in aliqua re permanente consistere, Aureolus apud Capreolum in 4. dist. 8. artic. 2. docere viderur, sumptionem esse partem integrantem hujus sacramenti, eo modo quo satisfactio est pars integralis sacramenti Pœnitentia.

Alti vero, ut Corneio, Delugo, & Bernabæ cent consecrationem, seu actionem qua panis & vinum in corpus & sanguinem Christi convertitur, intrinsecè & essentialiter concurrere ad constitutionem sacramenti Eucharistia.

Demum inter Thomistas & Recentiores controversia est, an corpus & sanguis Christi in recto pertineant ad constitutionem sacramenti Eucharistia, vel solum in obliquo, & de connotato. Alii enim, Suarez, Vazquez, Sylvius, & alii, & ob hoc sacramentum Eucharistia esse quoddam compositum resultans ex speciebus consecratæ & corpore Christi in eis contento; ita quod Eucharistia etiam in recto pertineat seu concurrat ad hoc sacramentum constitutum. Thomistæ vero aliorum sacramentum constitutum. Thomistæ vero aliorum sacramentum Eucharistia solam supponunt pro speciebus consecratæ, in obliquo tamen & de connotato importare corpus Christi ut contentum; consecrationem ut actionem per quam constituitur, seu conficitur, & ipsam sumptionem, ita quam aliquid ad quod ordinatur, ita quod ordo ad ista sic essentialis huic sacramento, non tamen componatur ex illis, tanquam ex partibus essentialibus, aut integralibus.

§. II.

Rejicitis alius sententias, vera statuitur.

Dico primò: Sacramentum Eucharistia in solo usu seu sumptione non consistere. Conclusio est certa de fide, & definita in Tridentino sessione 13. Can. 3. his verbis: *si quis dixerit peracta consecratione in admirabili Eucharistia sacramento, non esse corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante, vel post, & in hostiis seu partibus consecratæ, que post communionem referuntur, vel supersunt, non remanere verum corpus Domini, anathema sit.* Et cap. 3. sic ait: *illud in Eucharistia excellens & singulare reperitur, quod reliqua sacramenta tunc primum sanctificant vim habent, cum quis illis nutrit; at in Eucharistia ipse sanctitatis author ante usum est. Non dum enim Eucharistiam de manu Domini apostoli susceperant, cum verè tamen ipse affunderet, corpus suum esse quod præbebat, & semper has fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem, verum Domini nostri corpus, verumque ipsius sanguinem, sub panis & vini specie, una cum ipsius anima, & divinitate existere.* Quibus verbis Concilium hanc rationem indicat, quæ probatur primo nostra conclusio. Tunc tenetur esse sacramentum Eucharistia, quando verum est illi adesse corpus & sanguinem Christi. Sed ante usum & sumptionem, verum est in Eucharistia corpus & sanguinem Christi contineri: Ergo ante usum & sumptionem, est Eucharistia sacramentum. Major patet, hæretici enim, præsertim Lutherani & Zvingliani, ideo volunt hoc sacramentum consistere in solo usu, quia existimant tunc tantum in eo esse corpus & sanguinem Christi. Minor vero sic ostenditur. Tunc cadet in nos de, tunc corpus Christi, quando hæc verba prolata sunt: *Hoc est corpus meum*; si enim tunc non adest corpus, hæc tota propositio fuisset falsa, & Christus nec dæcium protulisset. Sed antequam comedere manducaretur, Christus protulit illa verba: Ergo erat tunc præsens ante sumptionem, & consequenter etiam modo quando profertur verba à Sacerdote.

Minor patet, praesertim de calice, siquidem Apostoli omnes successively ex vno & eodem calice biberunt, nec Christus protulit verba, nisi semel. Negant minorem vtriusque argumenti Sectarii, sed in reddenda ratione negati differunt: Aliqui enim dicunt, quod Christus non prius verba consecrationis protulit, quam cibum & potum discipulis suis dederit, idque probant ex verbis Matthaei 26. ubi sic legitur: *Accipit Jesus panem & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait, accipite & comedite, hoc est corpus meum* Alij vero fatentur quidem cum Calvino, verba illa *Hoc est corpus meum*, prolata fuisse ante manducationem, sed dicunt non fuisse impleta & verificata nisi in ipsa manducatione, idque probant, quia cum aliquid promittitur sub conditione praeccepti, non impletur promissio, nisi praecceptum impleatur: Christus autem simul coniunxit promissionem & praecceptum: promissio enim fuit, *Hoc est corpus meum*; praecceptum vero, *Accipite & comedite*, & consequenter corpus Christi non fuit praesens vel significatum, nisi cum Apostoli acceperunt & comederunt panem.

7 Sed contra primam responsonem est, quod non ex ordine verborum scripturae, sed ex eorum sensu & significatione colligi debet quid Christus prius, & quid posterius in sacra cena fecerit: atroquin cum Marc. cap. 14. sic habeat de calice: *Gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & sic illis, hic est sanguis &c.* liceret inferre, Christum nonnisi post actionem bibendi, verba consecrationis protulisse, quod tamen falsum esse debet, etiam apud haereticos, alias enim pronomen, *hic*, non demonstraret: nec Apostoli fuisse sacramentum: Debet ergo ex solo sensu verborum Scripturae, colligi ordo eorum quae a Christo in vltima cena facta sunt: sensus autem cogit ut dicamus prius verba consecrationis a Christo fuisse prolata, quam dederit Discipulis cibum & potum, quia numerum illa verba, *Accipite & manducate, hoc est corpus meum*, continet rationem, cur debuissent comedi ille cibum, ut denotat illa particula causalis, enim, prius autem debuit ratio illa ab audientibus percipi, quam eis daretur quibus ille manducandus, ut videlicet scirent quid acciperent. Adde quod si invitantur ad manducandum, quia est corpus Christi: & ad bibendam, quia est sanguis: prius fuit sanguis & corpus Christi, quam biberent & manducarent.

8 Quoad secundam responsonem, ex eo impugnatur, quod si verba illa, *Hoc est corpus meum* continerent promissionem, deberent exprimi per verbum futuri temporis, sicut fit in aliis promissionibus: sic enim de Baptismo loquitur *Qui credit & baptizatus fuerit, salvus erit*: At Christus non dixit, *Hoc erit corpus meum*, sed *Hoc est corpus meum*: Ergo verba illa promissionem non continent.

9 Probat secundam conclusio ex SS. Patribus Cyrillus enim in Epistola ad Calosyrium, de quibusdam qui dicebant quod Corpus Christi non remanebat sub hoc sacramento, si in crastinum referretur, quia (inquirebant) de Agno paschali qui erat figura huius sacramenti, non remanebat quidquam vsque mane, ut praecipitur Exodi 11. de illis, inquam, qui id asserunt, sic ait: *Insanum quidam dicentes mysticam benedictionem cessare a sanctificatione, si qua eius reliqua remanserint in diem subsequentiem*: Non enim

A *mutatur sacramentum corporis Christi, sed virtus benedictionis, & vivificativa gratia jugis est.* Item Clemens Ep. 1. quae inscribitur ad Iacobum fratrem Domini dicit. *Reliquias fragmentorum corporis Domini custodire debent, ne qua putredo in sacrario inveniatur; ne cum id negligenter agatur, Corpori Domini grauis iniuria inferatur.* Et constitutionum Apostolicarum lib. 8. cap. 13. *Sumant Diaconi reliquias, & in tabernaculum inferant &c.* Tabernaculum autem intelligit armarium sive arculam, in qua propter varios usus, & nominatim propter communionem infirmorum, sacra hostiae reconduntur & aservantur, sicut iam olim aservari solebant. Inde usus argentearum vel aurearum Columbarum, id est vasorum vel pixidum, quae sub illa figura, in symbolum Spiritus Sancti formabantur, ad sacram ibi Eucharistiam aservandam. Hinc etiam in primitiva Ecclesia usus Turrium argentearum, in quibus corpus Christi aservari solebat, ut colligitur ex Gregorio Turonensi libro de gloria Martyrum cap. 86. ubi sic ait: *Accepta turre in qua ministerium (seu mysterium) Domini corporis habebatur, ferre hanc ad ostium caput Diaconus, ac templum egressus est, ut eam altari superponeret.* Inde postopiori quoque nomen, quod iuxta graecum *αρεοποιον*, sponi thalamum significat, & propterea illi arcula vel pixidi olim inditum, in qua includebatur corpus Christi aservandum. Hinc denique Ciborii nomen, quo passim a Latinis eadem pixis vel arcula appellari solet, eo quod verum anima cibum contineat, scilicet Christum, qui Ioan. 6. ait *Caro mea verè est cibus*. Ex quibus omnibus aperte constat, semper in Ecclesia Dei creditum esse, quod non simul cum usu desinat esse corpus Christi in sacramento Eucharistiae, sed quod permanenter in eo conservetur. Unde Tertull. libr. 7. ad uxorem, innuit, fuisse olim moris, ut fideles Eucharistiam secum deferrent quam opportuno tempore reciperet. Basiliius in Ep. ad Caesarianam patritiam, testatur, Anachoretas qui non poterat commode saepius Ecclesiam frequentare, contueville Eucharistiam secum in eream deferre. Ambrosius in oratione de obitu Satyri fratris sui cap. 7. scribit eum in oratio involutam Eucharistiae particulam suspendisse ad collum suum, in periculo naufragij, & eo auxilio fretum, se deiecisse in mare, ac liberum ad litus evasisse. August. libr. 2. de visitatione infirmorum ca. 4. dicit salutem esse ut corpus Domini seruetur in gratiam infirmorum. Iulianus Martyr, qui vixit primo saeculo post Apostolos, in secunda Apologia prope fine scribit, post sacra peracta in Ecclesia, Eucharistiam dari consueville Diaconis, deferendam ad absentes, qui impediri fuerant ex causa rationabili, ne celebratione mysteriorum interessent. Demum S. Hieronymus Epistol. ad Kulticum, laudat S. Exuperium, Episcopum Tholosanum, quod ob inopiam voluntariam cogereetur corpus Christi in canistro portare. Verba eius sunt: *Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.*

B id est vasorum vel pixidum, quae sub illa figura, in symbolum Spiritus Sancti formabantur, ad sacram ibi Eucharistiam aservandam. Hinc etiam in primitiva Ecclesia usus Turrium argentearum, in quibus corpus Christi aservari solebat, ut colligitur ex Gregorio Turonensi libro de gloria Martyrum cap. 86. ubi sic ait: *Accepta turre in qua ministerium (seu mysterium) Domini corporis habebatur, ferre hanc ad ostium caput Diaconus, ac templum egressus est, ut eam altari superponeret.* Inde postopiori quoque nomen, quod iuxta graecum *αρεοποιον*, sponi thalamum significat, & propterea illi arcula vel pixidi olim inditum, in qua includebatur corpus Christi aservandum. Hinc denique Ciborii nomen, quo passim a Latinis eadem pixis vel arcula appellari solet, eo quod verum anima cibum contineat, scilicet Christum, qui Ioan. 6. ait *Caro mea verè est cibus*. Ex quibus omnibus aperte constat, semper in Ecclesia Dei creditum esse, quod non simul cum usu desinat esse corpus Christi in sacramento Eucharistiae, sed quod permanenter in eo conservetur. Unde Tertull. libr. 7. ad uxorem, innuit, fuisse olim moris, ut fideles Eucharistiam secum deferrent quam opportuno tempore reciperet. Basiliius in Ep. ad Caesarianam patritiam, testatur, Anachoretas qui non poterat commode saepius Ecclesiam frequentare, contueville Eucharistiam secum in eream deferre. Ambrosius in oratione de obitu Satyri fratris sui cap. 7. scribit eum in oratio involutam Eucharistiae particulam suspendisse ad collum suum, in periculo naufragij, & eo auxilio fretum, se deiecisse in mare, ac liberum ad litus evasisse. August. libr. 2. de visitatione infirmorum ca. 4. dicit salutem esse ut corpus Domini seruetur in gratiam infirmorum. Iulianus Martyr, qui vixit primo saeculo post Apostolos, in secunda Apologia prope fine scribit, post sacra peracta in Ecclesia, Eucharistiam dari consueville Diaconis, deferendam ad absentes, qui impediri fuerant ex causa rationabili, ne celebratione mysteriorum interessent. Demum S. Hieronymus Epistol. ad Kulticum, laudat S. Exuperium, Episcopum Tholosanum, quod ob inopiam voluntariam cogereetur corpus Christi in canistro portare. Verba eius sunt: *Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.*

C Probat tertio conclusio ratione fundamentali Eucharistia est sacramentum per modum cibi spiritualis anima: Ergo sicut cibus naturalis, ante actualem manducationem, ita est cibus completè habens virtutem ad quartam ad nutriendum, ut ipsa manducatio sit tantum conditio necessaria, ut de facto nutriat, non verò pars intrin-



manet in
rebus

intrinsicis essentialis, vel integralis: ita similiter Eucharistia ante sumptionem, sic est completè cibus, habens virtutem adequatam ad spiritualiter animam reficiendam, ut eius sumptio siue usus, sit tantum conditio requisita ut virtus ejus habeat suum effectum. Ex quo confutata manet sententia Aureoli, asserentis sumptionem esse partem integram sacramenti Eucharistia.

¶ Dico secundo: Consecratio non est pars intrinseca, constituens sacramentum Eucharistia, sed duntaxat aliquid essentialiter ab eo connotatum, per modum fieri & via ad ipsum.

Probatur breviter: Actio per quam conficitur cibus corporalis, non est cibus ipse factus, neque aliquo modo illius pars, sed solum aliquid in obliquo connotatum, per modum fieri cibi, & via ad ipsum. At Eucharistia est instituta ut alimonia & cibus spiritualis: Ergo consecratio, quæ est actio per quam conficitur, non est pars Sacramenti, sed duntaxat aliquid connotatum, per modum fieri & via antecedenter se habentis.

Confirmatur: Sicut in Confirmatione consecratio materia, quamvis simpliciter necessaria sit, & ad valorem sacramenti, & ad fructum ejus recipiendum; non est tamen pars intrinseca sacramenti, quia remotè tantum ordinatur ad sanctificationem fidelium: quia ita in sacramento Eucharistia, consecratio non ordinatur immediatè ad sanctificandos fideles, sed ad sanctificandam materiam, quæ deinde cedit in sanctificationem fidelium, non potest dici pars intrinseca huius sacramenti.

¶ Dico tertio, corpus & Sanguinem Christi, neque esse sacramentum Eucharistia, neque partem intrinsecam & essentialem illud componentem.

Probant hanc conclusionem aliqui ex nostris Thomistis, ex eo quod corpus Christi non est quid sensibile, ut est in hoc sacramento: de ratione autem sacramenti, aut partis ipsius essentialis, est quod sit aliquid sensibile. Verum hæc ratio non multum urget, quia licet corpus Christi non sit sensibile per se, est tamen sensibile ratione specierum: ut autem aliquid sit pars essentialis sacramenti, sufficit quod sit sensibile per aliud, ut patet manifestè in contritione, quæ non est sensibilis per se, sed tantum ratione alterius, & tamen iuxta communem sententiam, etiam Thomistarum, contritio est pars essentialis sacramenti Penitentia; nam id quod est sacramentum tantum in penitentia, integratur ex actibus penitentis, contritione scilicet & confessione, tanquam ex materia; & ex absolutione Sacerdotis, tanquam ex forma. Unde hæc ratio prætermittenda.

¶ Melius probatur conclusio, supponendo duo quæ admittuntur etiam ab adversariis. Primum est, in hoc mysterio species consecratas esse sacramentum tantum, corpus Christi rem & sacramentum simul, rem verò tantum, esse ipsam gratiam cibantem. Ita docet D. Thom. hic a. 1. ad 3. & a. 8. & communiter Theologi cum illo. Secundum est, nos hic loqui de constitutivo ejus quod est sacramentum tantum. His præmissis.

Sic formatur ratio: illud quod est res & sacramentum simul, non potest pertinere ad essentialitatem ejus quod est sacramentum tantum, tanquam pars intrinseca: Sed corpus Christi contentum sub speciebus, est res & sacramentum simul, quia & significat gratiam cibantem, & significatur à speciebus consecratis. Ergo corpus Christi

¶ At non est pars intrinseca ejus quod est sacramentum tantum. Sicut ergo Baptismus non constituitur ex ablutione & charactere, qui est res & sacramentum simul, sed solum supponit pro ablutione sub præscripta forma verborum, quæ sola essentialiter constituit: ita Eucharistia non componitur ex speciebus & corpore actibus consecratis, in illisque essentialiter constituitur, sed ex illis ac corpore & sanguine Christi solum unum efficitur, sicut ex continente & contentis.

Respondent Adversarij, negando Materiam nam contritio (inquunt) est res & sacramentum simul in sacramento Penitentia, & tamen est pars essentialis ejus quod est sacramentum tantum.

Sed contra primo: Cui convenit significare aliud, & significari ab alio, non convenit significare tantum: Sed res & sacramentum simul, significat & significatur; sacramentum verò tantum, habet solum significare. Ergo illud quod est res & sacramentum simul, non potest esse sacramentum tantum.

Contra secundò: Implicat quod essentialiter constituat suam causam, & sit pars intrinseca illius: Sed res sacramenti, est effectus sacramenti: Ergo implicat quod illud constituat.

Confirmatur: Res sacramenti supponit sacramentum: Ergo non constituit, sed constitutum supponit. Unde ad illud quod obijciatur de contritione, Respondetur, contritionem sub illius ratione habere quod sit sacramentum tantum, & quod sit res & sacramentum simul. Nam quatenus sit sensibilis per signa exteriora, de quodammodo concipitur, ut informis, ad esse non formata per gratiam, est sacramentum tantum: est autem res & sacramentum simul, quatenus est formata per gratiam, sive imperfectè & absolute, ut quando est contritio imperfecta, seu attritio; sive secundum quid, quatenus magis augetur & perficitur, per receptionem sacramenti, ut in Tractatu de Penitentia latè exponemus.

¶ Alia ratio potest breviter suaderi contra assertio: Omnia sacramenta secundum se tota, & secundum omnes suas partes intrinsecas, sunt quedam Dei instrumenta separata: ac corpus & sanguis Christi, non sunt instrumenta separata, sed conjuncta divinitati: Ergo quæ sunt sacramentum Eucharistia, neque pars intrinseca illius. Unde Tridentinum sessio. 13. can. 1. ait corpus & sanguinem Christi constituit in Eucharistia sacramento, nimirum sacramentaliter, ut declarat canon. 8. Hæc autem locutio esset impropria, si corpus & sanguis Christi essent ipsum sacramentum Eucharistia, vel pars intrinseca illud componens, quæ cum pars in toto non continetur sacramentaliter.

¶ Dico ultimò: Sacramentum Eucharistia consistere in speciebus consecratis, & pro ipsis supponere. Ita communiter docent Discipuli D. Thomæ, præsertim Soto in 4. dist. 8. quæst. unica art. 1. ubi sic ait: sicut sacramentum Baptismi supponit pro materiali ablutione, determinata per formam, quatenus est in fieri: ita sacramentum Eucharistia supponit pro materialibus speciebus consecratis per formam, quatenus permanenter continet corpus Christi. Ratio etiam id suadet: Sacramentum enim est signum rei sacræ hominem sanctificantis: si species consecratae sint hujusmodi; significatur

enim gratiam ut cibantem hominem spiritualiter, A
subindeque ut sanctificantem ipsam: Ergo in ipsis
consistit, & pro eis supponit sacramentum Eu-
charistiae. Unde D. Thomas hic art. 6. licet ait: In
hoc sacramento tria considerare possumus, scilicet id quod
est sacramentum tantum, quod est panis & vinum &c.
Et in Profa quam canit Ecclesia in festo Corporis
Christi ibidem S. Doctor sic ait: *Fractio demum sa-
cramento, ne vacillet, sed memento, tantum esse sub fra-
gmento, quantum toto tegitur.* Sed sola species tran-
guntur, & regunt Christum: Ergo sola species,
Christum continentis & regentes, sunt sacra-
mentum Eucharistiae, & pro ipso supponunt.

18 Confirmatur ex dictis in precedentibus con-
clusionibus: Sacramentum Eucharistiae non sup-
ponit pro corpore & sanguine Christi, ut patet ex
precedenti conclusione. Nec pro verbis conse-
crationis, haec enim traiecit, istud verò sacra-
mentum permanet. Nec pro ipsa consecratione,
sive actione convertiva panis & vini in corpus &
sanguinem Christi; cum illa sit actio per quam
consecratur Eucharistiae sacramentum, non verò
ipsam sacramentum, ut in secunda conclusione
deklaravimus. Nec pro sumptione, nam haec sup-
ponit sacramentum jam consecratum, & solum
est illius applicatio, & conditio ut causet gratiam
in homine, ut in prima conclusione ostensum
est: Supponit ergo pro speciebus consecratis,
quae eo ipso quod tales sunt, ordinem dicunt
continentis ad contentum, ad corpus & sangui-
nem Christi, siquae haec, licet non pertineant in
recto ad hoc sacramentum, pertinent tamen ad
illud in obliquo, quatenus continentur in illo. Ex
quo plura solvuntur Adversariorum argumenta,
ut patet ex dicendis paragrapho sequenti.

§. II.

Solvuntur objectiones contra duas primas conclu-
siones.

19 Objicies primò contra primam conclusionem:
Baptismus, Confirmatio, & alia novae legis
sacramenta, consistunt in usu: Ergo & Eucharistiae:
omnia enim sacramenta novae legis sunt ejusdem
generis.

Respondeo concessio Antecedente, negando
Consequentiã; licet enim omnia sacramenta
novae legis sint ejusdem generis, non tamen ejus-
dem speciei. Rationem discriminis affert Divus
Thomas hic art. 1. ad 3. quia scilicet Eucharistia
continet rem sacram absolutè, nempe Corpus
Christi, alia verò continent tantum rem sacram,
in ordine ad aliud; nempe virtutem ad sanctifi-
candum eos quibus applicantur. Hinc enim fit
quod Eucharistia perficiatur in sola consecratio-
ne materiae, alia verò in applicatione ad hominem
sanctificandum. Nam ex eo quod contentum in
aliis sacramentis, non est sacram absolutè, sed in
ordine ad aliud, fit quod debeant alteri applicari,
ut illud sacram continent, quia non continent
illud, nisi ut valeat & per modum transmissis.

20 Objicies secundo: Cum sacramenta pendeant
à divina institutione, non existunt, si in illis con-
ficiendis desit divina institutio: Sed si non man-
ducetur panis Eucharisticus, desit in conficienda
Eucharistia divina institutio; Christus enim in-
stituendo hoc sacramentum, iussit panem accipi
& manducari: Ergo sine manducatione, sive
usu, non est sacramentum Eucharistiae.

Tom. V.

Confirmatur: Omne sacramentum novae legis, 21
debet esse signum effectivum gratiae sanctifi-
cantis suscipientes; Sed Eucharistia non causet
gratiam cibantem & nutrientem, nisi in actuali
usu & sumptione: Ergo talis usus & sumptio,
est pars essentialis, vel saltem integralis ipsius.

Ad objectionem respondeo, quod etsi Chri- 22
stus instituerit usum Eucharistiae, non tamen
tanquam partem essentialem, vel integram
ipsius; quin potius sicut licet natura instituerit
seu ordinaverit cibum naturalem ad usum; prius
tamen est verè & integrè cibus, quam quis eo
utatur. Ita similiter prius est cibus Eucharisticus,
sive sacramentum Eucharistiae, quam sumatur &
manducetur.

Ad confirmationem dico, de ratione sacra- 23
menti non consistentis in usu, quale est Eucha-
ristia, non esse quod causet semper in actu se-
cundo gratiam, sed sufficere quod semper sit
aptum eam causandi; & de facto ipsam conse-
crat, postis requisitis; atque adeo posito usu,
sive applicatione, tanquam conditione sine qua
non.

Quaeres, an Eucharistia causet gratiam, si 24
poneretur in stomacho hominis miraculosè, sine
eo quod in illum per oris manducationem intra-
ret, ut à probatis Authoribus refertur contigisse
cuidam Comiti Gallo, juxta Massiliam: ille
enim dum esset morti proximus, & malà stoma-
chi dispositione prohiberetur à communione, &
receptione Eucharistiae, quam ardentè exopta-
bat; allatam sibi hostiam, & super stomachum
positam, aperto divinitus pectore suscepit, & sta-
tim obiit.

Respondeo negativè: cum enim Eucharistia 25
sit instituta per modum cibi spiritualis animae,
non confert gratiam sine actuali manducatione.
Unde in illo miraculoso evento, Deus suà virtute,
præter communes regulas, dedit effectum sacra-
menti, sine manducatione sacramentali, ex solo
voto sacramenti, quia virtutem suam sacramen-
tis non alligavit.

Objicies tertio contra secundam conclusio- 26
nem: In sacramento Eucharistiae verba consecra-
tionis sunt forma intrinseca, & essentialis.
Ergo & ipsa consecratio, seu conversio panis &
vini in corpus & sanguinem Christi. Con-
sequentiã patet ex paritate rationis. Antecedens ve-
ro probatur ex Florentino dicente Sacramenta
novae legis perfici rebus ut materiâ, & verbis ut
formâ: Ergo sicut in aliis sacramentis, verba
sunt forma intrinseca, & pars essentialis, ita &
in Eucharistiae sacramento. Ratio etiam id lu-
det: Ideò enim in aliis sacramentis verba sunt
forma intrinseca & pars essentialis, quia deter-
minant materiam ad significandum gratiam san-
ctificantem: Atqui etiam in sacramento Eucha-
ristiae verba consecrationis determinant mate-
riam, ad significandum gratiam: Ergo sicut in
aliis sacramentis verba sunt forma intrinseca,
& pars essentialis, ita & in Eucharistia. Ma-
jor patet, Minor probatur. Species non sunt
significativae gratiae, nisi ratione consecratio-
nis, quae fit per verba determinata: Ergo spe-
cies determinantur per verba ad significandam
gratiam.

Respondeo negando Antecedens, ad cuius 27
primam probationem desumptam ex authorita-
te Concilii Florentini, dicendum, propositio-
nem Concilii afferentis sacramenta novae legis
perfici rebus ut materiâ, & verbis ut formâ, de-
bere

bere per distributionem accommodam applicari diversimodè diversis sacramentis; ita ut de illis quæ consistunt in usu, possit dici ipsa intrinsicè componi ex rebus & verbis; de Eucharistia verò quæ non consistit in usu, extrinsecè tantum; propter rationes propositas, quæ oppositum concludunt de Eucharistia ac de aliis sacramentis. Potestque hæc solutio illustrari, ex eo quòd idem Concilium post verba relata, statim loquens de materia sacramenti Eucharistia, dicit esse panem & vinum quantum ad substantiam, formam verò verba consecrationis: At constat illam materiam non esse intrinsicè huic sacramento, quia est tantum materia circa quam versatur consecratio; & quæ per verba consecrationis destruitur: Ergo similiter ex eo quòd dicit verba consecrationis esse formam, non potest colligi quòd sint forma intrinsicè, sed duntaxat extrinsecè.

Ad secundam probationem ex ratione peritam, respondeo illud esse discrimen inter sacramentum Eucharistia, & alia nova legis sacramenta, quòd verba in Eucharistia efficiunt ipsū sacramentum, unde habent determinare materiam per modum efficientis, & consequenter extrinsecè, non autem per modum principii constitutivi; quare hoc argumento, solum concluditur, species in Eucharistia non habere rationem sacramenti, nisi quatenus connotant & dicunt respectum ad verba per quæ determinantur ad significandum Corpus Christi, & gratiam cibantem; atque adeò verba solum in obliquo debent dici pertinere ad essentiam hujus sacramenti.

§. IV.

Diluuntur argumenta contra tertiam conclusionem fieri solita.

28 **C**ontra tertiam conclusionem in qua diximus corpus & sanguinem Christi neque esse sacramentum Eucharistia, neque partem intrinsicè illius, objiciunt primò Recentiores plura SS. Patrum testimonia, quibus asserunt Eucharistiam componi seu constare ex speciebus & corpore Christi: dicitur enim in cap. *Hoc est*, de consecrat. dist. 2. *Sacrificium Ecclesia duobus constare, scilicet visibili elementorum specie, & invisibili Domini Iesu carne.* Et Irenæus lib. 4. cap. 34. ait, *Eucharistiam duobus rebus constare: terrenâ, & celesti.* Item D. Thomas in 4. dist. 8. qu. 1. art. 1. quaestione. 1. ad 2. inquit: *Ex speciebus & corpore Christi fit unum sacramentum.*

29 Verum ad hæc facile respondetur, has omnes locutiones à nobis admitti, sed non deduci ex illis quòd sacramentum hoc, in recto, & prout in genere signi, componatur ex Christo, tanquam parte, aut tanquam ex constituyente hoc sacramentum intrinsicè, sed tantum quòd Christus terminativè, ut res contenta, & significata, subindeque extrinsecè & in obliquo, ad hoc sacramentum pertineat; sicut objectum pertinet ad specificationem actus & potentia, & signatum ad speciem signi, & sicut contentum est terminus quem essentialiter respicit ipsa res continens. Unde D. Thomas paulò ante verba in objectione adducta, ait: *Sicut in aliis sacramentis ex elemento & virtute quasi unum efficitur.* Virtus autem per quam alia sacramenta elevantur, non est sacramentum, nec pars intrinsicè componens illud, nec ad illud pertinet in recto, sed tan-

tum in obliquo: Ergo & in sacramento Eucharistia corpus Christi non se habet per modum partis intrinsicè, sed solum ad modum extrinsecè connotati, seu per modum contenti, & significati.

Dices, D. Thomas loco citato asserit ex speciebus & corpore Christi fieri unum sacramentum: Sed ex speciebus consecratis & corpore Christi non potest fieri unum sacramentum, nisi utrumque sit pars intrinsicè & essentialis ipsius constitutivus: Ergo etiam corpus Christi est pars intrinsicè constitutivus & componens sacramentum Eucharistia, una cum speciebus.

Respondeo concessa Majori, negando Minorem; ut enim ex speciebus consecratis & corpore Christi, dicatur fieri unum sacramentum, sufficit quòd ipsæ species consecratae commoneat corpus Christi, ut rem ab ipsis contentam designificantem, subindeque quòd ipse Christus terminativè & in obliquo ad sacramentum Eucharistia pertineat.

Ex speciebus ergo in recto importatis, & corpore Christi in obliquo, fit unum sacramentum, quòd species non possunt habere rationem sacramenti tantum, nisi contineant ipsum corpus Christi, quia alias non significarent gratiam cibantem, cum non habeant eam significare, nisi ex determinatione facta per verba, quæ referri debent, debent species realiter continere corpus Christi.

Ex his soluta duæ manent rationes quas Vazquez hic disp. 165. cap. 5. adducit, & dicit esse evidentes. Prima est: Eucharistia est corpus Christi, seu constat corpore Christi, ut dicunt SS. Patres citati: Hoc sacramentum est Eucharistia. Ergo hoc sacramentum est corpus Christi, aut constat corpore Christi.

Secunda est: Spirituales cibus constat corpore Christi: Hoc sacramentum est spiritualis cibus animæ: Ergo hoc sacramentum est corpus Christi, vel constat corpore Christi.

Hæc rationes (inquam) soluta manent ex dictis. Ad primam enim respondetur Eucharistia à SS. Patribus appellari carnem vel corpus Christi, per Metonymiam, tribuendo contentivo nomen continenti, qui est frequentissimum modus loquendi. Similiter cum dicunt eam constare corpore Christi, solum intendunt, eam constare corpore Christi, ut re per eam significatam, & in ipsa contentam; non verò ut parte intrinsicè eam constituyente & componente, ut jam exposuimus. Quod verò hæc interpretatio legitima sit, & menti SS. Patrum consona, ex eo patet, quòd etiam Patres & Ecclesia, passim asserunt, quòd Eucharistia continet corpus Christi, & quòd in hoc sacramento continetur corpus Christi: quæ locutiones (ut supra annotavimus) essent valde impropria, si corpus Christi esset ipsum sacramentum Eucharistia, vel pars intrinsicè illud componens.

Ad secundam similiter dico, spirituales cibum animæ, constare corpore Christi in contentivo & significato, non ut significante & continente, ideòque pertinere ad sacramentum Eucharistia, tanquam terminum significationis commotivum ab ipsa, non verò tanquam rationem significatam, vel constitutivam ipsius signi.

Dices, si corpus Christi non pertinet ad sacramentum Eucharistia tanquam pars intrinsicè essentialis, sed solum tanquam commotivum essentialis in obliquo importatū, non magis perti-

nebit ad constitutionem Eucharistiae, quam gratia A
per eam causata, utpote cum gratia pertineat etiam
in obliquo ad essentiam cuiuslibet sacramenti,
quia est terminus & obiectum sacramenti: Conse-
quens est haereticum: Ergo &c.

Respondeo negando sequelam, & paritatem
Majoris: Ratio vero disparitatis est, quia corpus
Christi pertinet essentialiter ad sacramentum Eu-
charistiae, non solum ut quid significatum, & cau-
satam, sicut gratia, sed etiam ut quid realiter prae-
sens & contentum formaliter sub ipsis speciebus
consecratis.

§. V.

Solventur objectiones contra ultimam con-
clusionem.

Contra ultimam conclusionem, in qua dixi-
mus sacramentum Eucharistiae consistere in
speciebus consecratis, & pro ipsis supponere, qua-
dam fieri solent argumenta, quae breviter hic pro-
ponemus, ac diluimus.

In primis ergo obicitur: Sacramentum Eucha-
ristiae secundum se est adorandum vero cultu la-
triae, ut docet Tridentinum sess. 13, cap. 5. Atqui spe-
cies, etiam cum habitudine ad corpus Christi prae-
sens, considerata, non debent adorari cultu la-
triae, quia ut saepe docet 7. Synodus, hoc cultu solus
Deus adorari debet: Ergo species consecratae, seu
ut dicunt habitudinem ad corpus Christi praesens,
non sunt ipsum Eucharistiae sacramentum, nec pro
illo supponunt.

Secundò, Materia hujus sacramenti est panis &
vinum: Sed panis & vinum non sunt materia spe-
cieum consecratarum, cum illae neque fiant ex
pane & vino; neque panis & vinum convertantur
in ipsas: Ergo species consecratae non sunt ipsum
Eucharistiae sacramentum.

Tertiò, Sacramentum Eucharistiae conficitur
per verba consecrationis: At hoc non convenit
speciebus Eucharisticis, neque praecise secundum
se consideratis, quandoquidem non fiunt, sed re-
manent; neque ut dicentibus relationem ad cor-
pus Christi, cum ad relationem non detur actio:
Ergo idem quod prius.

Quartò, Eucharistia est verus cibus animae: At
species consecratae non sunt animae cibus aut po-
tus, sed duntaxat corpus & sanguis Christi: Tum
quia Joan. 6. dicitur: *Caro mea verè est cibus, & san-
guis meus verè est potus*: nullibi autem in Scriptura
legitur quod species consecratae sunt cibus & potus
animae. Tum etiam, quia gratia quae animam spi-
ritualiter cibatur ac reficit, non producit etiam in-
strumentaliter à speciebus consecratis, cum id
praestare nequeant, nisi mediante aliqua virtute
divina; quae tamen superflue omnino ipsis com-
municaretur, quandoquidem corpus, seu huma-
nitas Christi sub illis contenta, sufficientem ad hoc
habet virtutem: Ergo sacramentum Eucharistiae
non consistit in speciebus consecratis, neque pro
ipsis supponit.

Ad primum respondeo primò, cum Marco à
Serra, quod cum Tridentinum docet sacramen-
tum Eucharistiae adorandum esse cultu la-
triae, ibi accipitur continens pro contento; sacramentum
scilicet, pro Christo in eo contento. Unde cum
doctrina illa reducitur ad definitionem, sic pro-
ponitur Can. 6. *Si quis dixerit in sancto Eucharistiae sa-
cramento, Christum unigenitum Dei Filium, non esse
cultu la-
triae etiam externo adorandum, anathema sit.*

Respondeo secundò, concessa Majori, negan-
do Minorem, nempe quòd species Eucharisticae,
ut continentès corpus & sanguinem Christi, non
debeant adorari adoratione la-
triae, cum enim ex
eo quòd contineant Christum, sint ei conjunctae,
obiciuntur adorandae eodem actu quo Christus
adoratur, ad eum sicut qui adoratur Verbum in car-
ne, eodem actu adoratur carnem ipsam; ita qui ad-
orat Christum sub speciebus Eucharisticis, ea-
dem adoratione adoratur ipsas species. Pro cujus in-
telligentia.

Sciendum est, species Eucharisticas posse duo-
bus modis adorari: vel simul cum ipso Christo, vel
prout distinctae à Christo, & praecise propter di-
gnitatem quam habent ex eo quòd ipsum conti-
neant. Si adorentur simul cum Christo, quamvis
res per se primò adorata sit Christus; concomitan-
ter tamen, & quasi implicite, atque ad eum eodem
cultu quo Christus, adorantur species illae. Si vero
adorentur ut distinctae à Christo, fateor adorationem
illam non esse la-
triae perfectae, sed hyperdu-
liae; quia licet dignitas quae provenit in illis specie-
bus ex conjunctione ad Christum, sit major excel-
lencia & dignitate purè creata, & creabili, minor
tamen est quam dignitas Christi, secundum se
considerati, & in hoc sensu debet explicari septima
Synodus.

Ad secundum dicendum, quod licet panis &
vinum non sint materia specierum consecrata-
rum, sunt tamen materia ex qua habent, quod
contineant corpus Christi, quod sufficit ut pan-
is & vinum dicantur materia sacramenti Eucha-
ristiae.

Ad tertium respondeo species ut consecratae,
sive consecrationem passivam specierum, ra-
tione cujus ex continentibus substantiam panis,
redduntur continentes corpus Christi, fieri per
verba consecrationis, & consequenter resul-
tare relationem earum ad corpus Christi prae-
sens.

Ad quartum nego Minorem, non solum enim
caro & sanguis Christi, sed etiam species conse-
cratae, ut elevatae ad causandam gratiam, ratione
hujus elevationis sunt cibus & potus animae, quo
spiritualiter nutritur; quia tamen caro & sanguis
Christi, utpote instrumenta divinitati conjuncta,
ad hanc nobiliori modo concurrunt, ipsis & non
speciebus in Scriptura hoc attribuitur. Per quod
patet responsio ad primam probationem Mini-
oris. Ad secundam vero, nego antecedens; tam
enim species sacramentales quam humanitas Chri-
sti in eis contenta, concurrunt instrumentaliter
ad causandam gratiam; cum eo tamen discrimine,
quod humanitas Christi ad productionem con-
currit ut instrumentum Divinitati conjunctum;
species vero consecratae, ut instrumentum separa-
tum, & subordinatum humanitati Christi, ut in-
strumento conjuncto Divinitati, à qua tanquam à
causa principali derivatur virtus gratiae producti-
va, & tam humanitas Christi, quam species sacra-
mentales moventur instrumentaliter & elevantur
ad gratiae productionem.

1000

Corollaria precedentis doctrinae.

44. **E**X dictis inferes primò, quòd in Eucharistia species consecrata, continentes corpus & sanguinem Christi, sunt sacramentum tantum: corpus autem & sanguis Christi sub illis, sunt res sacramenti & sacramentum simul: gratia verò sanctificans, res sacramenti tantum. Ratio est, quia species consecrata significant tantum, & non significantur: corpus & sanguis Christi, significantur ipsis speciebus, & significant gratiam; ita tamen quòd non tantum significantur, ut volunt hæretici, sed etiam verè & realiter sub illis continentur: gratia verò sanctificans, per modum alimenti spiritualis, tantum significatur, nec significat aliquid quòd sit effectus proprius sacramenti Eucharistiae, licet significet gloriam, cujus est semen, quæ est significatum commune omnibus sacramentis.
45. Inferes secundo, Sacramentum Eucharistiae physice sumptum, nihil aliud esse, quam species panis & vini, consecrata sub præscripta verborum forma, ut realiter continent Christum, ad causandam gratiam cibantem animam. Metaphysicè verò consideratum, esse sacramentum novæ legis, significans Christum, ut realiter contentum sub ipsis speciebus, & gratiam cibantem animam.

ARTICULUS II.

Verum Sacramentum Eucharistiae, sit unum specie infima, & unde unus ejus specifica desumatur?

46. **E**Xtra dubium & controversiam est, Eucharistiae sacramentum esse aliquo modo unum, tum quia in omnibus speciebus consecratis continetur Christus, qui est unus: tum etiam, quia Eucharistia est sacramentum, Ecclesiasticæ unitatis, quæ per illud significatur, & quodammodo efficitur, juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 10. *Unus panis & unum corpus multi sumus omnes qui de uno pane & de uno calice participamus.* Verum difficultas est & controversia inter Theologos, de modo hujus unitatis, an scilicet illa sit specifica, vel duntaxat generica? Quidam enim, ut Major, & Gabriel, apud Vazquem hic disputatione 39. sectione 3. existimant, Eucharistiam esse unum sacramentum in genere solum, & plura specie distincta. Alii verò Theologi communiter docent, illam esse unum sacramentum unitate specifica & atomata. Verum adhuc difficultas est, unde sit hæc unitas desumenda: Aureolus enim illam sumit ex unitate rei contentæ, qui est Christus: Alensis, & Divus Bonaventura, ex unitate institutionis; Sanctus verò Thomas, ejusque Discipuli, & alii Theologi communiter, ex unitate finis ad quem ex Christi institutione ordinatur, nimirum refectionis spiritualis.

§. I.

Duplici conclusione vera sententia statuitur.

47. **D**ico primò, Eucharistiam esse unum specie infima sacramentum, & non plura specie diversa. Probatur conclusio ratione quam insinuat S.

A Thomas in 4. sent. dist. 8. quasi. 1. art. 1. in primo ex argumentis *sed contra*, quæ proportionantur ad resolutionem quaestionis 2. his verbis: *in quibus duo, tunc sacramenta nove legis non essent tantum septem*: Sed hoc est contra communem sententiam traditionem Ecclesie, ut constat ex Lateranensi cap. *Firmiter*, de summa Trinitate, ex Armeno in instructione Armenorum, & ex Tridentino sess. 7. ubi asseritur esse septem sacramenta nove legis, & non plura: Ergo Eucharistia est unum specie infima sacramentum, & non plura specie diversa.

Nec valer si dicas, quòd sunt tantum septem sacramenta nove legis, five genericè, five specificè; ita quòd quaedam sunt specificè unum, ut Baptismus & Confirmatio, alia genericè tantum, ut sacramentum Ordinis, vel etiam Eucharistia. Nam contra est, quia sacramentum Ordinis etiam specificè est unum, quia tota species & essentia sacramenti Ordinis, desumitur ex ordine, quia sacerdotium & sacrificium correlativè habent, ut constat ex Tridentino sess. 23. cap. 1. hæc ista species Ordinis, plures gradus habet, unum perfectum (scilicet Sacerdotium) alios deinceps, & ministrantes illi, ut Diaconatum, Subdiaconatum &c. Sicut in eadem specie hominum dantur plures gradus, nimirum rationalis, qui est dominus, & vegetativus, ac sensitivus, qui sunt ministres, & rationali ministrantes. Unde dicitur Ordines, solum sunt species quaedam incompletæ & inadæquatæ, quæ materialiter se habent ad constituendam speciem adæquatam & totalem sacramenti Ordinis. De quo fassus in Tractatu de Ordine.

Potest etiam suaderi conclusio ex Catechismo Pii V. parte 2. cap. 4. ubi dicitur: *Non plura, sed unum tantum Eucharistia sacramentum Ecclesie auctoritate ducti confitemur*: Atqui si Eucharistia sacramentum non esset unum specificè, sed solum genericè, possemus simpliciter dicere, quòd non sit unum sacramentum tantum, sed plura, sicut simpliciter dicimus, quòd sunt plura animalia, & non unum, licet sint genericè unum: Ergo sacramentum Eucharistia, est unum specificè & non tantum genericè.

Eandem unitatem probat Suarez hic disp. 39. sect. 3. hoc discursu: Hoc sacramentum significat passionem Christi, & ipsum Christum in eo contentum; item significat unionem fidelium, & futuram gloriam: Sed nihil horum complete significatur per unam speciem, siquidem passio Christi significatur per separatam confectionem sanguinis, & ex utraque specie unum integrum signum Christi completur, qui constat carne & sanguine. Item gratia perfecti convivii, non nisi in cibo & potu exprimitur. Denique fidelium unitas in uno corpore, & plena satietate gloriæ, non nisi per utramque speciem exprimitur: Ergo sacramentum Eucharistia duplici specie constat, indeque est unum specie sacramentum, & non plura, quamvis species panis & vini, ut constituentes corpus & sanguinem Christi, ad ejus confectionem concurrant.

Verum plura quæ in hac ratione allumuntur, efficaciter non probant intentum; siquidem unitas passionis Christi multa possunt esse signa & sacramenta. Item partim quæ integram corpus Christi, etiam possent dari diversis signis completa, ad invicem non adanata, nec se specie completa distincta, quamvis significatum esset.

affertivativè quid incompletum. Demum ex A unitate fidelium & gloriæ futuræ, probatur aliquis unitas sacramenti Eucharistiæ, non tamen unitas simpliciter & secundum speciem atomam, sed quæ solùm agimus in præfenti. Unde ut illa efficitur probetur, recurrendum est ad rationem D. Thomæ hic art. 2. de sumptam ex unitate finis, ad quem ex Christi institutione hoc sacramentum ordinatur, *Sacramentum enim Eucharistiæ* (inquit S. Doct.) *ordinatur ad spiritualem refectioem, quæ corporali conformatur: Ad corporalem autem refectioem duo requiruntur, scilicet cibus, qui est alimentum siccum, & potus qui est alimentum humidum; & idè etiam ad integritatem hujus sacramenti duo concurrunt, scilicet spiritualis cibus, & spiritualis potus, secundum illud Joan. 6. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: Ergo hoc sacramentum multa quidem materialiter, sed unum formaliter & perfectivè.* Hac ratio magis patebit ex dicendis conclusionè sequenti, potestque confirmari & illustrari, exemplo sacramenti Extremæ Unctionis: nam sicut in Extrema Unctione sunt plures unctiones parciales, & plures formæ parciales, & tamen est unum sacramentum, quia omnia illa ordinantur ad unum finem, & ad unum effectum, scilicet ad tollendum omnes reliquias peccatorum, quæ ex sensibus oriuntur, & animam deprimant: ita sacramentum Eucharistiæ, licet consistat duobus speciebus, & formis partialibus, censetur tamen esse unicum specie sacramentum, quia hæc ordinantur ad unum finem, & unum ad unam refectioem spirituales. Unde

Dico secundò: Unitas specifica sacramenti Eucharistiæ non desinitur ex unilater rei contentæ, scilicet corporis Christi; neque ex unitate institutionis ejus; sed ex unitate finis ad quem ex Christi institutione ordinatur.

Prima pars probatur: nam licet Christus sit res significata & contenta in hoc sacramento, tamen diverso modo continetur & significatur per speciem panis, & per speciem vini, & per diversas formas consecratur: unde restat semper difficultas, quare iste diversus modus significandi & continendi, non sufficiat ad distinguendum specie sacramentum Eucharistiæ, licet res significata materialiter & entitativè sit eadem: Ergo recurrendum ad illud principium unde sumatur unitas specifica sacramenti Eucharistiæ.

Confirmatur: Unitas rei contentæ in sacramento Eucharistiæ, si aliquid probaret, non solum unitatem specificam, sed etiam individualem probaret in omnibus sacramentis Eucharistiæ, quæ sunt in toto mundo, quia omnia idem nomen corpus Christi continent: At Eucharistiæ sacramentum, licet gaudeat unitate specificâ, non tamen numericâ, sed est diversum numero in diversis Ecclesiis, & altaribus, ut ostendimus articulo sequenti: Ergo ex unitate rei contentæ in Eucharistiâ, scilicet corporis Christi, unitas ejus specifica probari non debet.

Secunda verò pars, quæ assertit, unitatem specificam hujus sacramenti, non sumi ex unitate institutionis ejus, evidens est: tum quia institutio Christi se habet per modum causæ efficientis, quæ non specificat, sed solum causa formalis: tum etiam, quia non repugnat quòd Christus unâ institutione, duo sacramenta specie distincta sub unico genere designavit.

Tertia denique pars, quæ affirmat unitatem specificam Eucharistiæ, sumendam esse ex unitate

refinis ad quem ex Christi institutione ordinatur, patet, tum ex impugnatione aliarum sententiarum: tum etiam quia Eucharistia essentialiter est signum: signum autem, ut specificacionem, ita unitatem specificam sumit à termino significato, quia in Eucharistia est perfecta animi sanctitas, per modum spiritualis refectioem: unde sicut cibus & potus integrant unum convivium materiale, per ordinem ad unam refectioem corporis: ita corpus & sanguis Christi, sub speciebus panis & vini, unam comestioem sacramentalem, per ordinem ad unam refectioem animæ. Nam sicut homo ad perfectam refectioem corporalem eget cibo utroboretur, & potu ut in nimio calore refrigeretur: ita animus ad plenam refectioem spirituales, eget Christi corpore, ut in vita gratiæ roboretur, & Christi sanguine, ut à noxio concupiscentiæ calore refrigeretur: unde gratia habitualis, cum ordine ad auxilia roborantia & conservantia in vita spirituali, respondet sacramento corporis existentis sub speciebus panis; eadem verò gratia cum ordine ad auxilia extinguentia vel mitigantia concupiscentiam, respondet sacramento sanguinis existentis sub speciebus vini, idè quæ Zachariæ 9. *vinum germinans virgines* appellatur.

Dices: Ergo laici sumentes tantum corpus, defraudantur gratiâ respondente sanguini.

Respondeo negando sequelam, quia licet non recipiant illam ex vi formalis & directæ significationis sacramenti, recipiunt tamen ex vi materialis & indirectæ; quia sicut concomitanter cum corpore accipiunt sanguinem; ita cum eo, indirectè & ex consequenti, recipiunt gratiam sacramentalem illi respondentem.

Instabis: Ergo saltem in triduo, si quis sumpsisset corpus, fuisset defraudatus gratiâ respondente sanguini. Respondeo, transeat totum, nullum enim videtur absurdum vel inconveniens id concedere.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò: Ecclesia in oratione Missæ ait: *Purificent nos Domine quasumus sacramenta qua sumpsimus: Ergo Eucharistia non est unum specie sacramentum, sed plura.* Unde Concilia & SS. Patres sæpe loquuntur de Eucharistia in plurali, vocando sacramenta.

Respondeo cum sancto Thoma hic art. 2. ad 1. quòd in eadem collecta, & pluraliter dicitur, primò: *Purificent nos sacramenta qua sumpsimus; & postea singulariter subditur: Hoc tamen sacramentum non sit nobis reatus ad penam &c. ad ostendendum, quòd hoc sacramentum quodammodo est multa* (scilicet secundum partialem & materialem distinctionem signorum, simpliciter autem unum. Eodem modo intelligi debent Concilia & S. Patres, dum loquuntur de Eucharistia in plurali numero, scilicet de distinctione materiali & partiali signorum.

Objicies secundò: Tam species panis absque speciebus vini, quàm species vini absque speciebus panis, sunt integrum sacramentum: alioquin communicans in una tantum specie, non sumeret integrum sacramentum, nec in pixide asserviretur totum: Ergo Eucharistia non est unum sacramentum, sed plura.

Dd

Respon-

60. Respondeo, ne laicos sumere, nec in pixide A
 assevari integrum sacramentum formaliter, sed
 tantum materialiter; quia scilicet sub speciebus pa-
 nis, concomitanter saltem, continetur sanguis; unde
 (ut supra annotavimus) laici sub una tantum
 specie panis communicantes, nulla defraudantur
 gratia, huic sacramento correspondente, quia in-
 directe saltem & ex consequenti recipiunt gratiam
 sacramentalem alteri speciei respondentem. Sunt
 tamen aliqui Theologi, qui existimant, Sacer-
 dotes sub utraque specie communicantes, plus re-
 cipere gratia, quam laicos, qui sub una tantum
 specie communicant. Nec propterea (inquiunt)
 injuste facit Ecclesia, privans fideles specie Cali-
 cis: tum quia id praestat ob inconvenientiam & irre-
 verentiam, quae contingebant circa hoc divinum
 sacramentum, quae moraliter loquendo impediti
 non poterant: tum etiam, quia id compensari
 potest ex frequenti communione sub speciebus pa-
 nis, & ex majori ac ferventiori dispositione ad
 communionem. Sicut Ecclesia nullam facit injuriam
 fidelibus, ex eo quod non permittat illos bis in
 die communicare in eadem specie, cum tamen, si
 possent, major illis gratia conferretur.

61. Obijcies tertio: Sacramentum est in genere
 signi, unde ut sit unum, debet esse unica res signi-
 ficans: At qui in Eucharistia non est unica res si-
 gnificans, sed sunt duae, scilicet species panis, &
 species vini: Ergo Eucharistia non est unum sa-
 cramentum, sed plura.

62. Respondeo, quod licet in Eucharistia sint plu-
 res res significantes, materialiter, & partialiter;
 non tamen formaliter & adaequate, quia omnes
 ordinantur ad significandum unum convivium
 spirituale, & unam animae refectionem, unde est
 unum specie in se sacramentum; sicut supra di-
 cebamus, Extrema Unctionem esse unum specie
 in se sacramentum; quia licet constet pluri-
 bus unctionibus, & formis partialibus, illae ta-
 men ordinantur ad significandum unum effectum
 perfectum, nempe perfectam animae sanitatem.

ARTICULUS III.

*Vtrum sacramentum Eucharistiae sit multiplex
 numero, & unde sumatur unitas
 ejus numerica?*

63. Sunt quidam Theologi, qui existimant sacra-
 mentum Eucharistiae, non solum esse specie,
 sed etiam numero unum in tota Ecclesia, adeo ut
 sit idem numero sacramentum quod Romae, &
 Parisiis conficitur: quia (inquiunt) unitas nume-
 rica Eucharistiae, sumitur ex unitate corporis Chri-
 sti, quod est unum numero in omnibus speciebus,
 ubicumque, & a quocumque consecratur. Sicut
 ergo, si Filius Dei assumeret diversas humanita-
 tes, unus esset homo numero; & si idem homo
 esset in diversis locis, & haberet diversas albedi-
 nes, esset idem album: ita cum idem Christus ex-
 istat sub diversis locis, & haberet diversas specie-
 bus sacramentalibus, idem erit sacramentum nume-
 ro. In hanc sententiam, ut valde probabilem,
 accipiam, & commendantem unitatem
 quae in hoc sacramento significatur, inclinant
 Soto & Suarez, eamque alii recentiores sequuntur.
 Dico tamen, plura esse numero Eucharistiae

sacramenta, quae in diversis Ecclesiis vel ab aliis
 consecrantur, seu conficiuntur.

Probatum primo: Ubi sunt plures materiae
 numero sacramenta esse oportet; idem namque
 sunt numero sacramenta esse oportet; idem namque
 materiae numero sacramenta esse oportet; idem namque
 res Sacerdotes celebrant in diversis Ecclesiis, in
 altariibus, sunt plures numero materiae & formae
 Eucharistiae, ut patet: Ergo & plura numero sa-
 cramenta.

Probatum secundo: Sacramentum Eucharistiae
 supponit pro speciebus consecratis, & in illis
 sententia consistit, ut art. i. ostendimus: Sed spe-
 cies consecratae Parisiis existentes, non sunt eadem
 numero cum existentibus Romae, ut constat, illae
 eadem species simul essent in duobus locis, ubi
 quatis, & in uno desinerent esse, & in alio perma-
 nerent: Ergo sacramentum Eucharistiae quod Pa-
 risiis & Romae conficitur, non est idem numero,
 sed diversum. Unde falsum est quod Aduersarij
 supponunt, nempe unitatem Eucharistiae, per
 unitatem corporis Christi; sumitur enim ex unitate
 speciei, prout dicunt ordinem ad unam tantam
 refectionem spirituales, ut infra dicemus.

Ad exempla vero quae adducuntur ab Aduer-
 sariis, neganda est consequentia & pietas. Ratio
 disparitatis est, quia unitas numerica hominum,
 sumitur ab unitate numerica suppositi, sive
 substantiae; unitas numerica albedinis, ab unitate
 numerica subiecti: At vero species sacramenta-
 les, cum non subsistant per substantiam Christi,
 neque in eo subiectentur, aitate quod ab ipso
 desumunt suam unitatem & multipliciter ab uni-
 tate & multipliciter ab unitate numerica sumentium,
 & sumptionum.

Dices, Omnes fideles faciunt unicum numero
 corpus mysticum Ecclesiae: Ergo similiter omnes
 species sacramentales quae sunt ubique, faciunt
 unicum numero sacramentum Eucharistiae. An-
 tecedens est certum, Consequentia vero probatur
 ex illo Apostoli 1. ad Corinth. 10. *Unum corpus
 multi sumus omnes qui de uno pane & de uno
 calice participamus: quibus verbis reddens re-
 sponsum Apollolus, quare omnes fideles, cum
 multi sint, fiant unicum corpus Christi mysticum,
 non est eam esse unitatem Panis & Calicis celestis,
 quibus aluntur spiritualiter: Ergo sicut corpus
 illud mysticum est unum numero, ita & Panis ac
 Calix spiritualis, sive Eucharistia.*

Respondeo concessio Antecedente, negando
 Consequentiam, & ad eas probationes dico,
 Apollolum in verbis citatis loqui metonymice,
 id est accipere species panis & vini, pro corpore
 & sanguine Christi, contentis sub ipsis: quae
 vult solum quod sicut corpus & sanguis Christi,
 contenta sub speciebus sacramentalibus quae sunt
 ubique, sunt unicum numero corpus, & unum
 numero sanguis: ita omnes fideles ex eo quod
 non aluntur spiritualiter nisi illo cibo & potu, con-
 stituunt unicum numero corpus mysticum. Haec
 suppositis.

Restat adhuc difficultas & controversia inter
 Theologos, unde unitas numerica Eucharistiae
 desumenda sit? Quidam enim putant illam desu-
 mi ex unitate & continuatione physica speciei
 panis, atque ita quot fuerint species panis de unitate
 physice discontinuae, tot erunt numero sacra-
 menta. Alii vero existimant Eucharistiam unam esse
 numero, quia unitas numerica sumitur ex unitate
 corporis Christi, quod est unum numero in omni-
 bus speciebus, ubicumque, & a quocumque consecratur.

Handwritten notes in red ink on the left margin of the page.

vel diversitatem numericam habere, ratione consecrationis, per quam conficitur; ita ut unum sit sacramentum, quod unicam consecrationem conficitur; plura verò sacramenta, si distinctis numero consecrationibus conficiantur. Alii verò asserunt unitatem numericam Eucharistiæ, nec ex continuatione physica specierum, nec ex unitate consecrationis sumi, sed ex ordine ad unam summptionem. Et hæc sententia probabilior videtur: quia Eucharistiæ sacramentum est institutum à Christo per modum convivii spiritualis, quo reficitur anima; unde de illo agendum est cum analogia ad convivium materiale, ut communiter docent Scholastici cum D. Thoma hic art. 2. Sed convivium materiale non habet suam unitatem numericam à physica continuatione ciborum, cum plura fercula inter se discontinua, possint in eodem convivio ministrari: nec ab actione quâ præparatur, cum unica vel pluribus actionibus inter se discontinuis, & numero diversis, præparari possit; sed à cibus & ferculis prout ordinantur ad unam refectioem: Ergo pariter unitas numerica sacramenti Eucharistiæ, nec sumitur à communitate physica specierum, nec ex unitate consecrationis per quam conficitur, sed ex ordine ad unam numero refectioem ad quam deservit.

Deinde, in Missa Sacerdos dividit Hostiam in tres partes, & potest sumere sanguinem multiplici & distincto haultu, & tamen tunc sumitur unum tantum sacramentum, non obstante discontinuatione partium specierum: Ergo unitas numerica sacramenti Eucharistiæ, non sumitur ex continuatione physica specierum.

Si dicatur quod quælibet pars hostiæ, aut quælibet portio vini, non est materia integra, verum est; sed hujus nulla alia ratio assignari potest, nisi quia omnes ordinantur ad eandem numero refectioem; nam in qualibet est totum corpus, aut totus sanguis Christi: Ergo ex ordine ad unam refectioem spiritualem, unitas numerica sacramenti Eucharistiæ sumi debet, non verò ex continuatione physica specierum, vel ex unitate consecrationis; cum enim quæstio procedat de principio intrinseco individuationis, non est recurendum ad causam efficientem extrinsecam. Præterquam quod, si unâ consecratione plures hostiæ consecrentur, quæ à pluribus sumantur, erunt plura numero sacramenta.

Dices, Antequam sacramentum Eucharistiæ deserviat ad unam vel plures refectioes spirituales, præsupponitur constitutum, non solum in suo esse specifico, sed etiam in suo esse individuali, utpote jam existens à parte rei: Ergo ejus unitas numerica non sumitur ex ordine ad unam refectioem spirituaalem.

Respondeo distinguendo Antecedens. Supponitur in suo esse individuali constitutum incompletè, concedo: completè, nego.

Explicatur: Duplex est constitutio sacramenti Eucharistiæ in esse individuali, una incompleta, conveniens ei ex intentione saltem virtuali Sacerdotis consecrantis, per quam deputatur ad unam vel plures refectioes; altera completa, quâ consequenter ad talem intentionem, idem sacramentum deservit de facto ad unam vel plures refectioes; quapropter licet Sacerdos consecret plures hostias in ordine ad plures refectioes, non habent tamen completè, sed tantum inchoativè esse plura numero sacramenta, antequam in ipsa summptione deserviant de facto plures refectioibus. Similiter si plures consecret in

ordine ad unicam numero refectioem, inchoativè tantum ex tunc erunt unicum numero sacramentum, completè verò in ipsa actuali & unica summptione. Quod si post consecrationem eas applicet ad plures refectioes, tunc sicut prior intentio eas consecrandi in ordine ad unicam refectioem mutatur: ita & constitutio incompleta sacramenti in esse individuali, ab ea proveniens, ac proinde sicut tunc plura numero sacramenta: eodem modo quo si unicam hostiam in ordine ad unicam numero refectioem consecraret, & tamen postea pluribus divideret. Neque verò id mirum videbitur, si attentè consideretur, sacramentum Eucharistiæ esse (ut supra dicebamus) ex sua institutione, convivium spirituale, dicens analogiam ad convivium materiale; constat enim quod plura fercula, ex deputatione ad unam refectioem, constituunt inchoativè unum convivium; completè verò, quando postea ministrantur. Item manifestum est, primam illam deputationem posse mutari ita ut deserviant pluribus refectioibus, & ita plura convivia efficiant.

Instabis: Intentio Sacerdotis consecrantis plures hostias ad unam vel plures refectioes, est quid merè extrinsecum sacramento Eucharistiæ, nihil reale intrinsecum ponens in speciebus consecratis: Ergo ab ea non potest provenire, etiam inchoativè, unitas vel pluralitas numerica istius sacramenti.

Respondeo distinguendo Consequens: Ergo ab ipsa non potest provenire, etiam inchoativè, unitas vel pluralitas numerica istius sacramenti, tanquam à ratione formali, concedo; tanquam à conditione requisita, nego. Quemadmodum enim intellectus dividens dies & annos, licet extrinsecus tempori, est tamen conditio ad ejus multipliciter requisita; ita proportionaliter in præfenti, ordinatio mentalis specierum ad unam vel plures refectioes in Sacerdote consecrante, habet se ad modum conditionis requisitæ ad unitatem vel multipliciter numericam ipsius sacramenti.

ARTICULUS IV.

Utrum realis susceptio Eucharistiæ, vel saltem ejus votum, sit simpliciter ad salutem necessarium?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententia.

Suppono primò, dupliciter posse aliquid dici simpliciter necessarium ad salutem, scilicet necessitate præcepti tantum, si ex natura sua non habeat necessariam connexionem cum nostra salute, sed tantum ex præcepto divino vel Ecclesiastico; & necessitate etiam mediæ, si nempe etiam ex sua natura necessario connectatur cum nostra salute, sicut ad gloriam requiritur gratia, & in adultis merita. Non agimus hic de necessitate præcepti sumendi Eucharistiæ, de hoc enim differit S. Doctor infra quæst. 80., art. 11. sed tantum de necessitate mediæ, & inquirimus, an illa sit medium necessarium ad salutem? Quod ut magis declaratur,

Suppono secundò, susceptioem Eucharistiæ aliam esse realem & sacramentalem, consistentem in summptione specierum consecratarum, ad quam

Dd 2.

quam Christus suos Discipulos invitavit dicens, *Accipite & manducate*; aliam mysticam & spiritualementem, sumptam scilicet pro desiderio & voto illius de qua dicitur Job. 31. *Quis det de carnibus ejus ut satureremur?*

74. Suppono tertio, votum alicujus rei esse duplex, explicitum & implicitum: explicitum est desiderium rei in seipsa, id est ad ipsam rem expressè cognitam terminatum; implicitum verò est desiderium ejusdem rei, non in seipsa distinctè cognita, sed in aliquo alio cum illa connexionem aliquam habente. Querimus ergo, an realis susceptio Eucharistiae, vel saltem votum ejus explicitum, vel implicitum, sit medium ad salutem necessarium? In cujus difficultatis resolutione, varia sunt Auctorum placita.

75. In primis enim quidam haeretici Armeni existimarunt, realem susceptionem Eucharistiae, esse omnibus hominibus medium necessarium ad salutem; & propterea simul cum Baptismo Eucharistiam parvulis dabant, ut ex Guidone Carmelita refert Waldensis tomo 2. de sacram. cap. 97. Eundem errorem tribuere Gracis Jacobitis, & Nestorianis Prateolum, refert Suarez hic disp. 40. lect. 2.

Catholici verò in tres sententias divisi sunt, Suarez enim, Vazquez, & alii Recentiores communiter, docent Eucharistiam, neque in re, neque in voto, esse ad salutem necessariam. Aliqui verò, quos refert Vazquez hic disp. 169. cap. 2. asserunt Eucharistiam in voto explicito, necessariam esse ad salutem, necessitate medii; & de hoc sacramento eodem modo philosophandum esse existimant, sicut de Baptismo, & de Pœnitentia; ita quod sumptio realis Eucharistiae non sit determinatè necessaria ad salutem, sed casu quo non possit realiter & sacramentaliter recipi, debebat dari votum, id est desiderium talis sumptionis; sicut ad salutem requiritur votum explicitum, seu desiderium Baptismi, quando non potest reipsa suscipi, quod votum, seu desiderium, *Baptismus flammis* appellatur.

Sententia Thomistarum, inter has duas extreme oppositas medium tenet; docet enim votum Eucharistiae esse medium ad salutem necessarium; asserit tamen tale votum non debere esse explicitum & formale, sed sufficere implicitum & virtuale, quod in susceptione Baptismi, & aliorum sacramentorum imbibitur; quia nimirum Eucharistia se habet per modum finis omnium sacramentorum, & alia tanquam media ad ipsam ordinantur: quicumque verò appetit medium, implicitè, virtualiter, & interpretativè censetur ipsam finem desiderare,

§. II.

Vera sententia triplici conclusione statuitur.

76. Dico primò, sacramentum Eucharistiae in re susceptum, non esse medium necessarium ad salutem.

Conclusio est certa de fide, & constat traditione & consuetudine Ecclesiae, tum in parvulis, tum in adultis. De parvulis extat definitio Concilii Tridentini sess. 21. cap. 4. ubi dicit quod parvuli, & usurationis carentes, nullà obligantur necessitate ad sacramentalem Eucharistiae communionem; siquidem per Baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati, adeptam jam filiorum gra-

tiam in illa aetate amittere non possunt. De adultis etiam constat praxis Ecclesiae, quae nec presentibus, nec vomitibus patientibus, nec ad mortem duntaxat, aut quodcumque periculum indecedentibus, solet sacramentum Eucharistiae portare, etiam in mortis articulo; quod evidens argumentum est, realem & sacramentalem susceptionem, non esse necessariam Eucharistiae mediè ad salutem, nunquam enim Ecclesia praeferret adultos aut parvulos mediè ad salutem necessario.

Adde quod, licet Eucharistia sit per modum cibi spiritualis animæ instituta, tamen vel non est unicus, vel non est omnino necessarius, quia nimirum per actus virtutum, maximèque charitatis, anima semel existens in gratia, sufficienter nutriti potest, & à contrariis defendi, deficiente Eucharistia; quando autem multi sunt cibi, & singuli sufficientes, nullus tunc determinatè est necessarius, sed aliquis indeterminatè: vel si cibi Eucharistiae sit simpliciter necessarius necessitate medii ad perseverandum per longum tempus in statu gratiarum, cum sit cibi spiritualis, sufficit quod à spiritualiter sive in voto suscipiatur.

Dico secundò, votum seu desiderium formale & explicitum recipiendi sacramentum Eucharistiae, non esse de necessitate salutis.

Probatum primò: Tunc solum votum explicitum, seu desiderium alicujus rei, est simpliciter necessarium necessitate medii ad salutem, quando res ipsa, aliquando saltem, si commode haberi possit, est ita necessaria: Sed realis susceptio Eucharistiae, nunquam est simpliciter necessaria necessitate medii ad salutem parvulis aut adultis, ut procedenti conclusione ostensum est: Ergo nec votum formale & explicitum. Major probatur: Votum alicujus rei, est tantum propter ipsam, unde dicitur ejus vicarium; atque adeò non potest unquam esse magis necessarium ad salutem, quam sit res ipsa: hinc, quia professio in religione, nunquam per se est simpliciter requisita, sed tantum utilis ad salutem, votum ejus nunquam simpliciter est per se loquendo necessarium simpliciter ad hunc finem: Ergo, &c.

Probatum secundò conclusio: Gratiam amittam post Baptismum, & gloriam, potest quis habere, sine reali susceptione Eucharistiae, & ejus voto formali & explicito: Ergo tale votum non est simpliciter necessarium necessitate medii ad salutem. Consequentia patet, Antecedens verò probatur. Si quis morti proximus, sumpto viatico peccet mortaliter, etiam si non recipiat iterum Eucharistiam, nec voluntatem habeat eam recipiendi iterum; potest tamen per sacramentum Pœnitentiae justificari, & obtinere gloriam post mortem: Ergo gratiam amissam post Baptismum, & gloriam potest quis habere, sine reali susceptione Eucharistiae, & ejus voto formali & explicito.

Nec valet quod aliqui dicunt, nempe hominem in tali casu teneri iterum sumere viaticum, si accuti tenetur iterum confiteri; regulariter tamen excusari, si huic præcepto non satisfaciatur; quia loqueretur scandalum & probabilis suspicio manifestandi suum delictum. Non valet inquam, nam Ecclesia non solet morti proximis bis viaticum conferre, etiam quocumque scandalo lectulo; & nullus Confessarius pœnitentem suum, qui post viaticum peccavit, obligatur iterum viaticum sumere, etiam si possit sine scandalo.

Dico tertio: Sacramentum Eucharistiæ, in voto, saltem implicito, tacito, & interpretativo susceptum, est necessarium ad salutem, necessitate medii.

81. Probatur primò conclusio ex illo Ioan. 6. Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Sed hæc intelligi nequeunt de reali & sacramentali manducatione Eucharistiæ, neque de voto ejus formali & explicito, ut patet ex dictis præcedentibus conclusionibus: Ergo saltem explicari & intelligi debent de voto implicito, tacito, & virtuali ipsius, quod ut infra ostendemus, in susceptione Baptismi & aliorum sacramentorum includitur.

82. Neque valet responsio Suaris, Vazquis, & aliorum Recentiorum, dicentium hæc verba Christi solam importare necessitatem præcepti. Nam D. Augustinus variis in locis, verba illa extendit ad parvulos, qui sunt incapaces præcepti, ait enim libro de peccat. meritis cap. 20. An verò quisquam hoc dicere audebit, quod AD PARVULOS hæc sententia Domini non pertineat? Etlib. 4. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 4. Hæc reconciliatio (inquit) est in lavacro regenerationis, & Christi carne & sanguine, sine quo NEQUE ETIAM PARVULLI possunt habere vitam in semetipsis. Vnde S. Thomas hanc esse mentem Augustini declarat supra quæst. 65 art. 4. ad 2. comparans enim necessitatem Baptismi, & Eucharistiæ, inter se, propter verba Domini. Nisi quis renatus fuerit, &c. Et nisi manducaveritis carnem Filij hominis &c. dicit illud esse intelligendum de spirituali manducatione, non de sola sacramentali, ut exponit Augustinus super Ioan. tract. 16. & 27. Ergo sentit S. Thomas, agnovisse Augustinum in spirituali manducatione Eucharistiæ æqualem necessitatem, ac in ipso Baptismo; sumendo spiritualem manducationem, non pro desiderio speciali & expresse sumendi Eucharistiæ, sed pro illo ordine & respectu, quem Baptismus implicitè dicit ad Eucharistiæ, ut pote medium ad ipsam tanquam ad suam ordinatum. Vnde idem Augustinus relatur à D. Thomas hic art. 3 ad 1. Epistola ad Bonifacium ait. Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc unum quæque sitelium corporis sanguinisque Domini participationem fieri, quando in Baptismo membrum corporis Christi efficitur: nec alienari ab ipsis panis, calicisque consortio, etiam si antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc seculo in unitate corporis Christi constitutus ab seculo.

83. Probatur secundò conclusio ratione fundamentali, quæ sic potest proponi. Baptismus & Pœnitentia sunt necessaria necessitate medii ad salutem: Sed in Baptismo & Pœnitentia includitur implicitè, virtualiter, & interpretativè, votum Eucharistiæ: Ergo sacramentum Eucharistiæ in voto, saltem implicito, tacito, & interpretativo, est necessarium ad salutem, necessitate medii. Major est certa, & patet ex dictis in Tractatu de Baptismo. Minor verò quam negant Adversarii, ostenditur. Sacramentum Eucharistiæ est institutum, tanquam finis universalis omnium sacramentorum, quæ proinde se habent ut media ordinata ad ipsum: Sed in volitione medii includitur, implicitè saltem, virtualiter, & interpretativè, intentio finis, seu voluntas & votum ipsius: Ergo in Baptismo, & Pœnitentia, aliisque sacramentis, implicitè, virtualiter, & interpretativè includitur votum Eucharistiæ. Minor, & Consequentia sunt manifestæ. Major verò, in qua est difficultas, probatur primò. Omnis res inclinatur in suam perfectio-

nem & consummationem, tanquam ad proprium finem: Sed Eucharistiæ est perfectio & consummatio aliorum sacramentorum; quia gratia quæ per aliquod sacramentum recipitur, habet nos unire Christo: hæc autem unio maximè perficitur & consummatur per Eucharistiæ, tum quia in illa maxima confertur gratia, tum etiam, quia continet realiter corpus Christi. Vnde Dionysius cap. 3. de Eccles. hierarchia, quem citat S. Thomas supra quæst. 65 art. 3. in argumento sed contra, ait quod non contingit aliquem perfici, perfectione hierarchica, nisi per divinissimam Eucharistiæ: Ergo sacramentum Eucharistiæ est finis aliorum sacramentorum.

Secundò eadem Major suadetur: Sacramentum quod confert illos effectus qui pertinent ad finem ultimum, se habet per modum finis respectu aliorum: Sed sacramentum Eucharistiæ habet conferre effectus illos qui pertinent ad finem ultimum, sicut est unio cum Christo, vita æterna, & resurrectio corporum, juxta verbum Christi Ioan. 6. Qui manducat me, & ipse vivet propter me.... Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.... & ego resuscitabo eum in novissimo die: Ergo sacramentum Eucharistiæ est finis aliorum.

Tertio, Omnia sacramenta instituta sunt à Christo, tanquam instrumenta quibus nobis communicatur virtus passionis, ut illi uniamur & incorporeremur, tanquam membra capiri: quando autem plura instrumenta seu agentia, ordinantur ad aliquem effectum, id quod essentialiter & per se est tale, est finis & principium eorum quæ participativè sunt talia: sicut ignis est causa & finis omnium ignitorum, quia istum effectum, qui est ignire, alia faciunt in virtute ejus, & in ordine ad ipsum: Sed effectus iste, qui est unire & incorporare nos Christo, essentialiter & per se pertinet ad Eucharistiæ, quæ realiter continet corpus Christi, & conjungit nos illi: Ergo reliqua sacramenta non possunt habere istum effectum, nisi in virtute Eucharistiæ, & in ordine ad ipsam, subindeque Eucharistiæ est finis aliorum sacramentorum.

Denique, cum Deus sit finis omnium creaturarum, id in quo speciali modo inhabitat, habet etiam rationem finis respectu aliorum; unde quia Deus est in Christo homine, speciali modo, per unionem scilicet hypostaticam, Christus ut homo, finis est omnium creaturarum; quare in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. dicitur, causam finalem justificationis nostræ, esse gloriam Dei, & Christi: Sed Christus Deus & homo est speciali modo in sacramento Eucharistiæ, cum hoc sacramentum realiter & substantialiter ipsum contineat: Ergo illud est finis aliorum sacramentorum.

§. III.

Corollaria præcedentis doctrine.

EX his intelliges primò, quod licet realis & sacramentalis receptio Eucharistiæ, non sit de necessitate salutis, bene tamen mystica & spiritualis. Vnde Thomas hic art. 3. ad 1. & in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 1. quæst. unc. 2 ad 1. exponit verba illa Christi Ioan. 6. Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, de hac mystica & spirituali receptione Eucharistiæ: Dominus (inquit) loquitur de

manducatione spirituali, sine qua non potest esse salus. A
 Consistit autem mystica hæc & spiritualis susceptio Eucharistiæ, in incorporatione cum Christo, juxta illud Augustini Tractatu 26. in Ioan. *Hoc est manducare illum escam, & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere:* unde cum per Baptismum incorporemur Christo, realis susceptio Baptismi, est mystica & spiritualis receptio Eucharistiæ, & votum implicitum & virtuale illius; est enim (ut supra dicebamus) quædam inchoatio vitæ spiritualis, quæ ex se & ex natura sua ordinatur ad suam perfectionem, consummationem, & finem, qui non est alius, quam unio & incorporatio cum Christo, quæ fit in sacramento Eucharistiæ. Ex quo fit, receptionem spirituales Eucharistiæ, ejusque votum, causam esse ejusdem effectus, cuius est causa susceptio sacramentalis Baptismi, non tamen eodem modo; nam Baptismus in resuscipitur, est causa efficiens instrumentalis illius: Eucharistia verò spiritualiter recepta, est ejus causa finalis, & universalis. Ex quo intelliges, votum Eucharistiæ, quo in Baptismo, & in aliis sacramentis implicite includitur, esse longè diversæ rationis à voto sacramentali Baptismi, & Pœnitentiæ, quod includitur in contritione, vel dilectione Dei super omnia; nam Eucharistia per modum finis, in Baptismo & in aliis sacramentis includitur, per modum causæ efficiens, includitur in contritione vel in dilectione, unde votum Eucharistiæ causat primam gratiam, solum in genere causæ finalis; votum verò Baptismi vel Pœnitentiæ, eam in genere causæ efficiens instrumentalis producit. Per quod præcipua Adversariorum argumenta solvuntur, ut patebit ex dicendis §. sequenti.

35. Intelliges etiam ex dictis, speciali quadam ratione includi votum Eucharistiæ in Baptismo, quæ non includitur in aliis sacramentis: Baptismus enim est initium vitæ spiritualis, Eucharistia verò ejus perfectio & consummatio: Sed initium vitæ spiritualis, speciali quadam ratione, ad suam perfectionem & consummationem, tanquam in finem inclinatur: Ergo Baptismus speciali quadam ratione inclinatur in Eucharistiam tanquam in finem, subindeque in Baptismo, speciali quadam ratione, includitur votum Eucharistiæ ut finis.

§. IV.

Solvuntur objectiones.

36. Objicies primò auctoritatem D. Thomæ supra quæst. 65. art. 4. ubi agens de necessitate sacramentorum novæ legis, dicit Baptismum tantum & Pœnitentiam esse sacramenta necessaria necessitate mediæ, respectu cujuslibet, & sacramentum Ordinis respectu totius communitatis, alià verò solum ad melius esse necessaria pronuntiat: Ergo ex D. Thomæ Eucharistia non est necessaria necessitate mediæ ad salutem.
37. Respondeo D. Thomam loqui ibi de omnibus sacramentis, secundum quod sunt specialia quædam & distincta sacramenta, & per ordinem ad effectus quos habent causare in genere causæ efficiens; in quo sensu non dicimus Eucharistiam, esse necessariam, sed in alio supra explicato. Unde diligenter observandum est, & semper præ oculis habendum,

ut sic præcipua Adversariorum argumenta solvantur, quod Eucharistia dupliciter considerari potest, primò in quantum aliquod sacramentum particulare, & sic habet influentiam per modum causæ efficiens in suam propriam gratiam, & conferret, distinctam à cæteris: Secundo ut causa universalis aliorum sacramentorum, & sic habet influentiam in omnem gratiam, & in omnes effectus sacramentorum, & ista causalitas est finalis, quia omnia sacramenta ordinantur ad Eucharistiam ut ad finem, quatenus in ea realiter consumatur, & in omnes effectus sacramentorum, & institutionis eorum. Primo modo votum Eucharistiæ non est de necessitate sacramentorum, & institutionis eorum. Secundo modo dicitur votum Eucharistiæ necessarium, quia cum ejus influentia sit universalis in omnia sacramenta, hoc ipso quod sacramentum Baptismi est necessarium, etiam Eucharistia intenta in illo, & implicite ac virtualiter intentione, necessaria erit.

Objicies secundo: Illud non est necessarium necessitate mediæ ad consequendam primam gratiam, sine quo prima gratia obtineri potest: Atque votum Eucharistiæ potest prima gratia obtineri: Ergo votum Eucharistiæ non est ad illam obtinendam necessarium necessitate mediæ. Major patet, Minor probatur: quia per solum Baptismum, vel Pœnitentiam, potest quis consequi primam gratiam, cum enim Baptismus & Pœnitentia sint sacramenta tuorum, ad productionem primæ gratiæ per se primò instituta sunt.

Respondeo concessa Majori, negando Minorem, & ad illius probationem, nego Consequentiam, quia in ipsa susceptione Baptismi vel Pœnitentiæ, implicite, & virtualiter, votum Eucharistiæ per modum finis includitur, ut supra ostensum est.

Instabis: Votum Eucharistiæ non includitur in sacramentis Extremæ Unctionis, Confirmationis, & Matrimonii: Ergo neque in Baptismo, Consequenter videtur legitima, ex patetate rationis. Antecedens probatur. Qui recipit Extremam Unctionem v.g. potest habere voluntatem explicitam, quæ proponat se amplius non communicaturum, nisi quia certò scit se statim moriturum: Ergo in susceptione Extremæ Unctionis, non includitur votum Eucharistiæ.

Respondeo primò, negando Antecedens, nam etiam Confirmatio, Matrimonium, & Extrema Unctio, ordinantur ad Eucharistiam; non solum assumptionis sacramentalis, sed ad disponendum ad ejus effectum, qui est unio cum Christo, & vitæ æternæ, vel ad illum conservandam. Confirmatio roborat nos in fine, & reddit membra Christi fortiora, ad confitendum fidem ejus, & consequenter ad conservandam unionem cum Christo, quæ est effectus generalis omnium sacramentorum, principaliter tamen appropriatus Eucharistiæ. Derivatus ab illa ut a fine: Extrema verò Unctio maximè ordinatur ad conferendam istam unionem cum Christo, in ultimo conflictu, ut præparet nos ad ultimam perseverantiam, & introitum in celum: & sic maximè respicit vitam æternam, quæ est proprius effectus Eucharistiæ. Matrimonium significat conjunctionem Ecclesiæ cum Christo, & suo modo disponit ad illam conjunctionem intimam cum Christo, quæ specialiter fit in Eucharistia; & similiter servit secundario, ad repugnandam vel mitigandam concupiscentiam, cujus repressio vel mitigatio, est maxima dispo-

Actio ad Eucharistiam, Ad probationem Antecedentis dicendum est, posse quidem hominem qui recipit Extremam Unctionem, habere voluntatem explicitam, quã proponat se amplius non communicaturum; velle tamen non posse, quod Extrema Unctio non ordinetur ad Eucharistiam tanquam ad finem, cum omnia sacramenta nova legis, ex sua natura & institutione id habeant unde propositum illud iterum non communicandi, tollit quidem seu impedit: votum explicitum & formale Eucharistiæ, non tamen votum ejus implicitum & virtuale, cum illud in receptione cujuslibet sacramenti imbibatur, ut ex supra dictis patet.

Respondeo secundò, dato Antecedente, negando Consequentiam; nam ut §. precedenti coroll. ostensum est, votum implicitum Eucharistiæ in Baptismo (idem cum proportionem dicendum de Pœnitentia) speciali quadam ratione imbibitur, quã non includitur in aliis sacramentis; quia nimirum inchoatio vitæ spiritualis, quã fit in Baptismo, specialiter ordinatur ad perfectionem & contuminationem ejusdem vitæ spiritualis, quã fit in Eucharistia, juxta illud quod ex Dionysio supra retulimus: Non contingit aliquem perfici perfectione hierarchicã nisi per divinissimam Eucharistiã.

Obijcies tertio: Si votum Eucharistiæ esset necessarium ad consequendam primam gratiam, sequeretur quod ille qui suscipit aliquod sacramentum, aut facit actum charitatis, teneretur habere expressum desiderium communicandi, & recipiendi Eucharistiã, quã primum possit: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud.

Respondeo negando sequelam Majoris; Tum quia votum Eucharistiæ quod dicimus esse medium necessarium ad salutem, non est explicitum & formale, sed duntaxat implicitum & virtuale: Tum etiam, quia desiderium communicandi solum est votum & desiderium Eucharistiæ, ut particulare sacramentum est, & respectu particularis effectus ejus: votum autem Eucharistiæ quod dicimus esse de necessitate salutis, fertur ad Eucharistiã ut est causa universalis aliorum sacramentorum, & quatenus habet incorporate nos Christo, illique nos perficit unitre, qui est fons omnium sacramentorum, Dicitur antea declaravimus.

A quis meus est. Id etiam habetur in Concilio Viennensi, Clementinã unicã de reliquijs & veneracione Sanctorum, & in Tridentino sessione 13. cap. 1. ubi sic dicitur: Ita majores nostri omnes, quotquot in vera Ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc sacramento diservierunt, apertissime professi sunt, hoc tam admirabile sacramentum in ultima cœna Redemptorem nostrum instituisse, Et cap. 2. Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, sacramentum hoc instituit, in quo divitijs divinisissimi sui amoris veluti in nos effudit. Idem proficitur Ecclesia in Canone Missæ, verbis illis: Qui pridie quãm pateretur, accepit panem &c.

Tres hujus rei congruentias assertit S. Thomas hic art. 5. Prima est, quia cum Christus vellet in propria specie discedere ab Apostolis, congruum fuit, ut seipsum relinqueret in specie aliena. Quam rationem insinuat Emilianus homil. 4. in Paschate, his verbis: Quia corpus assumptum ablatum erat ab oculis, & illatum sideribus, necesse erat ut die cœna sacramentum corporis & sanguinis sui consecraret nobis, ut coleretur rogiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium. Secunda est, quia cum sine fide passionis Christi non possit esse salus, juxta illud Apostoli ad Romanos 3. Quem posuit Deus propitiatorem per fidem, in sanguine ipsius, oportuit ut omni tempore esset apud homines aliquod repræsentativum passionis Christi, subinde quod Christus pridie quã pateretur, lux passionis mox futuræ, memoriale nobis exhiberet in sacramento Eucharistiæ. Tertia, quia ea quæ ultimò dicuntur & fiunt, maximè amicis recedentibus, magis memoriæ commendantur, eò quod magis tunc inflammatur affectus ad amicos, & ea ad quæ magis afficimur, profundius animo imprimuntur, proindeque ut sacramentum corporis & sanguinis Christi, vehementius commendaretur Apostolis, congruum fuit ut Christus in ultimo suo discessu ab eis, ipsum institueret. Addi potest quod testamentum fieri solent ante mortem testatoris: unde cum Christus in Eucharistia, suum corpus & sanguinem Discipulis, & aliis fidelibus, quasi testamento legaverit, ut dicitur Lucæ 22. convenientissimum fuit, ut pridie quã moreretur, mirabile hoc sacramentum institueret.

In hoc, ut dixi, conveniunt omnes fideles, sive Latini, sive Græci, sed magna & celebris est inter illos controversia, de die quã Christus ultimam cœnam cum Apostolis fecit. Græci enim, ut suum ritum & sententiam de consecratione Eucharistiæ in pane fermentato tueantur, asserunt Christum, cœnam illam celebrasse non die aut lunã 14. primi mensis, nam tunc non licebat Judæis comedere fermentatum, ut patet Exodi 12. sed die aut lunã 13. quo tempore Judæi, non azymis, sed fermentatis panibus utebantur.

Sunt etiam quidam ex Latinis, ut Stella in Lucam, Oleaster, Luyfius, & alii, qui eandem sequuntur sententiam, diverso tamen ducti fundamento: Ideò enim volunt Christum manducasse Agnum lunã 13. quia (inquunt) ita lex statuebat: quod enim dicitur Exodi 12. Agnum immolandum esse lunã 14. ad vespertam, existimant debere intelligi de prima vespere, quæ est finis lunæ seu diei 13. Græci verò, licet admittant Agnum debuisse manducari juxta legem, lunã 14. in secunda vespere, addunt tamen Christum anticipasse unã die, & manducasse illum lunã 13. quod colligunt ex eo quod Ioan. 18. dicitur quod Sacerdotes non introierunt in Prætorium (eã scilicet die quã Christus crucifixus est) ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha; Ex hoc

ARTICULUS V.

Quandòam Christus instituit Eucharistiæ sacramentum:

§. I.

Præmittitur quod apud omnes est certum, & referuntur sententiã.

Christissimum est secundum fidem; sacramentum Eucharistiæ fuisse institutum à Christo in nocte cœnæ ultimæ, factæ cum Discipulis, pridie quã pateretur: Idem aperte testantur Evangelistæ, præsertim Mattheus cap. 26. his verbis: Cœnabitibus autem eis, accepit Iesus panem, benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite & comedite. Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes, hic est enim san-

hoc enim videtur sequi, Christum qui in die precedenti comederat Agnum, anticipasse diem statutum in lege. Ut hæc melius percipiantur, & vera stabiliatur sententia, duo breviter hic præmittenda sunt, quæ Scripturæ Interpretet fusè expendunt.

99. In primis sciendum est, Judæos menses computare solitos fuisse, secundum lunas, ita ut primum diem mensis cujuslibet, à prima luna seu Neomenia notarent, anni verò initium lumerent à prima luna post veris æquinoctium; ita ut ab ea inciperet primus mensis dictus Hebraicè *Abib*, Caldaicè *Nisan*, Martio nostro correspondens, de quo dicitur Exodi 12. *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni*, quia nimirum tali mense Deus à Pharaonis tyrannide eos eduxerat. Dierum verò tres differentias agnoscebant, scilicet legalium, naturalium, & artificialium. Dies legales accipiebantur à vespera unius diei, ad vesperam subsequenteris, juxta illud Levitici 23. *A vespera usque ad vesperam, celebrabitis sabbata vestra*. Ubi per sabbata intelligenda sunt quælibet festa maxime solemnia; nam eodem loco festum expiationis celeberrimum, vocatur *sabbatum requiescentis*. Vnde D. Thomas in 4. dist. 11. quæst. 2. art. 2. quæstionc. 3. ad 3. sic ait: *Quamvis ante Christi resurrectionem, à mane in mane computaretur: tamen hoc erat speciale in solemnitatibus legis, quod computabatur dies à vespera ad vesperam*; eo modo quo in Ecclesia modò festa incipiunt, quoad officium, à prima vespera, usque ad secundam. Dies naturales accipiebantur apud Hebræos, sicut apud nos, à media nocte, in medium noctis sequentis; vel ut aliquibus placet, & insinuat D. Thomas loco citato, ab ortu Solis, in ortum subsequentem. Dies verò artificiales condistinguebantur etiam sicut modò contra noctem, ita ut comprehenderent tantum illud spatium, in quo lux Solis apparebat.

100. Sciendum est præterea, inter festa Judæorum, duo maxime apud eos solemnitatis fuisse, nempe festum Paschæ, sive transitus, & festum Azymorum: ex quibus primum erat institutum in memoriam beneficii, quo Angelus vastator, transiens per Ægyptum, primogenitosque Ægypti interimens, Hebræos salvos & intactos reliquerat: secundum verò in recordationem alterius beneficii, priori succedentis, quo eadem nocte post interemptos primogenitos Ægyptiorum, Hebræi ex Ægypto festinanter egressi sunt, Ægyptiis urgentibus, ita ut cum non possent fermentare panes, præproperè azymos coxerint, ut Exodi 12. narratur. Inter hæc autem duas festivitates, hæc est notanda differentia, quod Pascha unâ tantum die, eaque integrâ, scilicet 14. luna primi mensis, sub vesperam celebrabatur, ut patet Exodi 12. Levitici 13. Deuteronomio 16. subindeque ejus solemnitas non incipiebat in vigilia præcedenti, sive in vespere lunæ 13. nec cum vigilia sabbati quietis concurrebat: At verò celebritas Azymorum complectebatur septem dies legales completos, quorum primus & septimus festivi erant, & solemnissimi, propter quod solemnitas primæ diei azymorum, quæ erat luna 15. incipiebat à vespere lunæ 14. & sic Pascha sive Pascha conjungebatur cum festo Azymorum; ita ut à cæna paschalis agni, comedendi cum azymis, usque ad vigesimum primum diem ejusdem mensis inclusivè, panis fermentatus intra domos Judæorum non extaret. Ita apertè ex Scriptura colligitur, nam Exodi 12. sic habetur: *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni. Decimâ die men-*

A *sis, tollat unusquisque agnum per familiam & domum suam & servabit eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus, immolabitque eum universa multitudo Israel, ad vesperam; & edent carnes nocte illa, & azymos panes, & comedentis sicut manerunt: hinc autem hunc diem in nonum diem, & celebrabit eum solemnem Domino: septem diebus azymis comedetis, in die primo non erit fermentatum in domibus vestris; dies prima erit sancta, & solummodo dies septima, eadem festivitate venerabitis. Hæc præstitis.*

B Græci, ut diximus, ut sciam ritum & doctrinam de confectione Eucharistiæ in pane fermentato tueantur, asserunt Christum Dominum carnem agni Paschalis, in qua hoc sacramentum institutum non celebrasse prima die azymorum, sive luna 15. sed ipsum prævenisse, ita ut sciam Pascha celebraverit luna 14. Martii, mortuus verò fuerit luna 15. in qua Judæi post vesperam tantum Pascha immolabant, & incipiebant uti azymis. Latini contra ut ritum suum de confectione in azymo decedant, affirmant Christum cænam agni Paschalis, qua instituit sacramentum Eucharistiæ celebrasse die seu luna 14. mensis primi, ad vesperam, in qua incipiebat solemnitas primæ diei azymorum, indeque Christum in azymo, non verò in fermentato consecrasset.

S. II.

Vera sententia duplici consensione statuitur.

Dico primò, Christum cænam agni Paschalis, die seu luna 14. mensis primi, ad vesperam celebrasse, subindeque eadem die sacramentum Eucharistiæ instituisse. Ita communiter Patres & Doctores Latini, imò & D. Chrylостомus, summus inter Græcos autoritatis, homil. 85. in Mattheum.

Probatur primò conclusio evidentibus Scripturæ factæ testimoniis, nam Matth. 26. dicitur: *Prima autem die azymorum, accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? Et post dicitur Christum vesperæ factæ cum illis concubuisse, & cænasse; quod idem asseritur Mattheo 26. & Lucæ 22. Sed prima dies azymorum, non est decima tertia mensis primi, quia tota die 13. comedebatur panis fermentatus, sed decima quarta, in cujus vespera incipiebant comedere azymos, & non incipiebant comedere fermentatum, aut illud in domibus habere, ut patet Exodi 12. verbis supra relatis. Ergo Christus non celebravit die decima tertia, sed decima quarta primi mensis, cænam in qua consecravit diei Pascha, id est Agnum paschalem, & sacramentum Eucharistiæ instituit.*

B Nec rectè Euthimius primum diem azymorum explicat, ipsum pridie azymorum: Tum quia addit *diem festum azymorum*: Et autem dies festus, tollit primus & septimus dies azymorum, ut constat ex verbis Exodi supra adductis. Tum etiam, quia credibile non est, Christum qui in omnibus hæc divinæ legis observantissimus, & qui ut ipse dicebat Matthei 5. *non venit legem solvere, sed implere*, prævaricatum fuisse legem, anticipando diem pro hac celebratæ institutum. Et certe, si hoc fecisset, justè potuissent Judæi hoc illi obprobere, nec tantum laborassent in querendis fallacibus.

Ad hoc respondet iterum Euthymius, fuisse licitum prævenire Pascha, quam vis non liceret ultra diem constitutum à lege differre.

Sed contra primò, quia inde maxima confusio in hujus festi celebratione accidisset, si fuisset cuiuslibet liberam celebrare suam Pascha, quacunque die lunam decimam quartam antecedente.

Contra secundò: Hoc fingit Euthymius, nam Scriptura nullibi, ne apparenter quidem, id insinuat, sed potius contrarium docet aperte; Numer. enim cap. 9. lex permittit quidem in favorem immundorum, ac peregrinorum, ut propter immundiciam, vel peregrinationem longinquam, extra terram Chanaan, Pascha suum secundum mensum celebrarent: imperat tamen ut illud celebrarent ipsa luna decimam quartam, sub vespere.

Probat per secundò conclusio, & magis adhuc impugnat Græcorum sententia. Non est assignabilis causa sufficiens, ob quam Christus legaliter cœnavit, pridie quam lex juberet: Quare enim, quoniam fuerit causa illa?

Respondent Græci, quia sciebat se in crastino morte præventum, non posse agnum comedere. Verùm hæc causa nulla est, Christus enim non debebat servare legem, nisi quandiu viveret, subindeque non erat cur illud mandatum, quod mortem erat subsequiturum, antea impleret: sed satis erat ut ad complendam veritatem figuræ Agni typici, immolaretur in cruce.

Dico secundò, per vespere diei seu lune decimæ quartæ, in qua lex præcipiebat immolari Agnum Paschalem, non debet intelligi ea quæ præcedebat diem seu lunam decimam quartam, sed quæ sequebatur, & quæ erat secunda vespere diei decimæ quartæ, & prima diei decimæ quintæ; proinde Christum eâ vespere Pascha cum Discipulis celebrasse, & sacramentum Eucharistiæ instituisse. Ita communiter docent Theologi, & Scripturæ Interpretes, contra Stellam, Oleastrum, & Laynum, supra relatos.

Probat breviter: Lex ferebat manducandum esse Agnum, eâ vespere quâ incipiebat prohibitio utis fermentati; nam eius agni, & prohibitio fermentati, seu dies azymi, simul incipiebant: Sed hæc prohibitio non incipiebat in prima vespere lune decimæ quartæ, sed potius in secunda. Ergo &c. Major pater ex supra dictis, Minor probatur. Prohibitio fermentati non incipiebat nisi primâ die azymorum; Sed prima dies azymorum, erat tantum luna decima quinta, & inchoabat in secundis vespere lune decimæ quartæ: Ergo prohibitio fermentati non inchoabat in prima vespere lune decimæ quartæ, sed in secunda. Major constat, quia usus fermentati non erat prohibitus, nisi in diebus azymorum: Ergo antequam primam diem azymorum, non incipiebat prohibitio fermentati. Minor verò ex eo suadetur, quod si prima dies azymorum fuisset luna decima quarta, & inchoasset luna decima tertiâ in fine, cum aliunde ultima dies azymorum esset luna vigesima prima, jam fuissent octo dies integri azymorum, cum tamen Scriptura Exodi 12. expressè asserat esse tantum septem.

Respondent Adversarii, luna decima tertia in fine, non fuisse prohibitum fermentatum, nisi quantum ad cœnam legalem, in qua comedebatur agnus, non verò in aliis cœnis, & quantum ad alios cibos; & primam diem azymorum simpliciter, non fuisse lunam decimam quartam, sed decimam quintam; & in hoc sensu verum

esse, quod essent tantum septem dies azymorum. Addunt tamen, posse admitti octo dies azymorum secundum quid, quia luna decima quarta potest dici prima dies azymorum secundum quid, ex eo quod quantum ad cœnam legalem, non licebat uti fermentato in prima eius vespere.

Verùm si hæc responsio & doctrina vera esset, nullum haberemus fundamentum ad colligendum contra Græcos, Christum consecrasse in azymo: Sed hoc est contra omnes Doctores Latinos, etiam illos contra quos disputamus: Ergo &c. Sequela Majoris probatur; Latini nullum aliud habent fundamentum ad id colligendum, nisi quia non licebat uti fermentato, eo tempore quo Christus consecravit: Sed juxta solutionem datam, hoc fundamentum esset nullum: Ergo &c. Minor probatur, quia juxta illam luna decima quarta, ante secundam vespere, non erat prohibitum fermentatum, nisi quantum ad cœnam legalem, quæ juxta Adversarios, perficiebatur in prima vespere lune decimæ quartæ: Sed Christus non instituit Eucharistiæ in cœna legali, sed in communi & usuali, ut docet Tridentinum sess. 22. cap. 1. dicens quod à Christus veteri Pascha completo, novum instituit, & Augustinus Epist. 108. ubi ait Christum prius comedisse Agnum Paschalem, & deinde Eucharistiæ instituisse. Id etiam inquit S. Thomas in hymno quod edidit, verbis istis: *Post Agnum typicum, expletis epulis, corpus Dominicum dedit Discipulis*: Ergo si consecravit luna decima tertia in fine, potuit uti fermentato in institutione Eucharistiæ.

§. III.

Præcipua Græcorum fundamenta solvuntur.

Præcipua Græcorum fundamenta sumuntur ex variis Scripturæ locis, quibus insinuari videtur, Christum Pascha celebrasse cum Discipulis suis, antequam Judæi illud celebrarent, subindeque prævenisse diem à lege statutam, quæ erat decima quarta primi mensis.

In primis enim Ioan. 13. omnia illa quæ Christus gessit in cœna, facta dicuntur ante diem festum Pascha.

Secundò, Idem Evangelista cap. 18. ait quod in die passionis Domini, Judæi non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha, id est Agnum Paschalem: Ergo illa die à Judæis manducabatur, subindeque Christus Pascha celebravit, pridie quam à Judæis celebraretur.

Tertiò, Capite 19. Christus dicitur mortuus in Parasceve Paschæ: Sed parasceve est totum tempus præcedens, in quo ea quæ ad Paschæ celebrationem necessaria erant parabantur: Ergo Christus mortuus est, antequam Judæi Pascha celebrassent, subindeque in celebratione Paschæ, & manducatione Agni Paschalis, diem à lege statutam anticipavit, & per consequens non die seu luna decima quarta, sed decima tertia, illud celebravit.

Denique, Christus non est passus die primâ Azymorum, quæ erat decima quinta mensis primi: Ergo decima quartâ, & per consequens die decimâ tertiâ, Pascha celebravit, & sacramentum Eucharistiæ instituit. Utraque consequentia patet, Antecedens probatur. Tum quia, cum in die solemnâ Azymorum nefas esset Judæis litigare, accusare, & jus dicere, Christum ea die non rauerunt ad mortem. Tum etiam, quia in die festo

Ec nihil

nihil Judæis licebat facere, exceptis iis quæ ad vendendum pertinebant, ut dicitur Exodi 12. & tamen ea die quâ Christus mortuus est, mulieres paraverunt aromata & unguenta, ut dicitur Lucæ 23. Addi potest, quod dies sabbati quæ secuta est immediatè mortem Christi, Joan. 19. appellatur *Dies magnus sabbati*: quo nomine non designatus fuisset, nisi extitisset dies primus Azymorum, quia non habuisset specialem aliquam magnitudinem & solemnitatem supra alia sabbata: Ergo Christus non est passus die primâ Azymorum.

111. Propter hæc argumenta, Burgenfis, Lyranus, Catharinus, & alii dixerunt, Christum manducasse quidem agnum Paschalem lunâ decimâ quartâ in secundis vespere, sed Judæos illo anno, ex speciali dispensatione, distulisse hanc comestionem in lunam decimam quintam, quæ erat sabbatum, seu prior vespera sabbati; quia enim populo molestum erat, duo festa immediata colere, cum nullum opus servile licitum esset diebus festis facere, etiam pro cibis parandis; & aliunde luna decima quarta illo anno incidere in feriam quintam, prima dies Azymorum incidere in feriam sextam, qua Christus passus est, consequenter potuerunt ex dispensatione differre esum Agni in lunam decimam quintam, ut sic primus dies festus Azymorum celebraretur ipso sabbato.

112. Sed contra primò: Marci 14. dicitur, Christum comedisse agnum die primâ Azymorum, quando Judæi Pascha immolabant: Ergo Christus & Joanni eodem die immolatur Agnum. Item Lucæ 22. dicitur: *Venit prima dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha*, scilicet secundum legem; in quam subinde non cadebat dispensatio; aliàs si in illo anno fuisset dispensatio, non fuisset necesse illa die occidi Pascha, quia potuisset differri.

113. Secundò impugnatur hæc responsio, destruendo fundamentum cuiuslibet Authores nituntur, & ostendendo ipsos in idem incommodum incidere quod vitare volunt; si enim illo anno prima dies Azymorum fuisset celebrata in sabbato; septima dies, quæ erat etiam festiva, & eadem festivitate qua prima venerabilis, ut dicitur Exodi 12. incidisset in feriam sextam sequentem, quæ immediate præcedebat sabbatum; sic duo festa sibi & immediate successissent, etiam juxta Adversariorum sententiam.

114. Aliter ergo argumentis propositis responderet. Ad primum enim dicendum, quæ à Christo gesta sunt in nocte cœnæ, dici ab Evangelista facta ante diem festum Paschæ, sumpta die pro die artificiali, prout distinguitur à nocte; non pro naturali, ut complectitur noctem; unde non dixit *ante festum*, sed *ante diem festum*. Quæ explicatio est Catechismi Romani cap. de Eucharistia, & D. Thomæ in 4. dist. 11. quæst. 2. art. 2. quæstiuncula 3. ad 1.

Ad secundum cum eodem S. Doctore ibidem in resp. ad 3. responderetur, quod quando Evangelista ait, quod Judæi, die qua Christus crucifixus est, non introierunt in Prætorium, ut non cotaminarentur; sed ut manducarent Pascha; per ly *Pascha* non intellexit esum Agni Paschalis, sed esum panum Azymorum, qui per septem dies comedebantur, aut victimarum, quæ per dies Paschales offerrebantur, & quæ *Paschara* dicebantur, illæ enim non nisi à mundis comedi debebant.

Ad tertium dicendum per parasceve Paschæ non intelligi præparationem ad Pascha, sed parasceve quæ erat festum Paschæ, id est feria sexta

A intra festa paschalia illo anno occurrente. *parasceve*, quia in ea præparabatur necessarium ad festum sabbati sequentem, in quo non licebat operari, nequidem cibos præparare. Quæ explicatio confirmatur ex illo Marci 13. *Parasceve, quod est ante sabbatum*; & ex illo Joan. 19. *Judæi ergo quoniam parasceve erant, non manerent in cruce corpora sabbato*, etc. quibus patet, parasceve fuisse, non ad Pascha sed ad sabbatum.

Ad quartam nego Antecedens, & ad primam ejus probationem dico, non esse certum ex scriptura, actus judiciales fuisse in hoc festo habitos: vel Judæos facile potuisse existimare, pro bono communitate pro tunc ad eam legem non veni.

B Ad secundam respondeo quod si ante primam Azymorum, licet festo, licitum erat coquere cibos; ita & alia hujusmodi facere, quæ non licebat facere in sabbatis; unde mulieres feria sexta quæ erat prima dies Azymorum, paraverunt aromata. Adde cum D. Thoma supra citato, q. 4. opera misericordie non reputari inter opera servilia, unde in die solei licebat aromata sepulcrum præparare, quia hoc erat operum recordia.

C Ad id quod additur, responderet idem S. Doctor ibidem ad 3. quod quæcumque dies sunt diebus Azymorum, sabbatum veniat, dicitur magis dies sabbati, propter geminam solemnitatem scilicet sabbati & pasche, id est diebus paschaliis, inter quos septem dies Azymorum computabantur.

§. IV.

Solvuntur argumenta contra secundam conclusionem.

D Contra secundam conclusionem obijciunt primò Stella, Oleaster, & Laynius: *Et vesperâ Judæi celebrabant Pascha, quæ pertinebat ad lunam seu diem decimam quartam. Sed ad lunam seu diem decimam quartam, non pertinebat secunda vespera, sed prima tantum; quia Judæi suâ solemnitate inchoabant à vespera die præcedentis, & terminabant in vespera sequente, ita ante vesperam sequentem; Ergo Judæi celebrabant Pascha prima vespera diei decimæ quartæ, subindeque die decima tertia primis mensis.*

E Respondeo concessa Majori, negato Minoris, ad cuius probationem, in primis dico illud esse quod dies festivi apud Judæos terminantur ante secundam vesperam, nam ut supra ostendimus, incipiebant in prima vespera, & terminabantur in secunda inclusivè; eo modo quo nunc in Ecclesia festa incipiunt quoad officium in prima vesperis, & durant usque ad secundam inclusivè. Ad id quod, celebratas Paschæ apud Judæos non esse festivas, nec alio modo celebratas, quam in immolatione & comestione Agni; sed prima ratione Azymorum, quæ proinde incipiebat in prima vespera lunæ decimæ quintæ, in qua, uno cibo Azymis, & lactucis aggressibus, Agnus Paschalis comedebatur, ut dicitur Exodi 12.

Obijciunt secundò præ dicti Authores: *Et vesperâ immolabant Judæi Agnum, quo pertinebat*

immolarunt illum in egressu de Aegypto. Sed in egressu de Aegypto, immolarunt Agnum luna decima quarta ad primam vesperam, hoc est in fine diei naturalis decimae tertiae. Ergo eadem die & vespera illum immolabant, cum Christus Pascha cum Discipulis celebravit. Major videtur certa, tum ex duodecimo capite Exodi, tum etiam quia illa immolatio agni fiebat in memoriam prioris immolationis, & liberationis primogenitorum Israel. Minor verò probatur. In illa nocte qua Iudaei egressi sunt de Aegypto, non potuerunt Agnum immolare, sed ad summum in nocte praecedenti: At qui egressi sunt de Aegypto nocte qua terminabat lunam decimam quartam, & inchoabat decimam quintam: Ergo nocte praecedente, ea scilicet qua terminabatur luna decima tertia, agnum immolaverunt. Minor habetur Exodi 12. & Numeri 17. ubi dicitur quòd Iudaei profecti sunt de Ramesse, mense primo, decima quinta die mensis primi. Major verò, in qua est tota difficultas, probatur primò, quia nocte illa qua Iudaei primò immolarunt Agnum, usque ad ortum diei, nullus poterat exire è domo, juxta illud Exodi 12. Nullus vestrum egredietur ostium domus suae usque mane. Secundò, quia post eum Agni, Iudaei petierunt plurima vasa aurea & argentea ab Aegyptiis, multamque suppellestem; quae omnia non potuerunt fieri eadem nocte. Tertio, quia Exodi 12. dicuntur exiisse de Aegypto sexcenta ferè millia peditum virorum, absque parvulis & foeminis: ad congregandum autem tantam multitudinem, quae in diversis Aegypti urbibus dispersa erat, necessarius fuit saltem dies integer, qui proinde interesse debuit inter eum agni, & exitum eorum. Demum Num 33. altera die à phase, seu Agni paschalis est, Hebraei exiisse ex Aegypto dicuntur: Ergo non in eadem nocte.

ii. Respondeo negando Minorem, & ad illius probationem, nego Majorem; ad cujus primam probationem, nego Antecedens, quòd scilicet ea nocte qua Hebraei primò immolarunt agnum, nullus exierit è domo: neque enim Moyses praecipit ipsis, ut è domibus non egredierentur absolute nocte illa, sed ut non egredierentur, quousque compellerentur ab Aegyptiis: nam sic rem gestam esse habetur Exodi 12. Iussit Angelus omnes filios Israel, sanguine agni immolati ad occasum Solis, sub finem lunae decimae quartae, utrumque postem, & super liminaria domorum linire, ut sic notam illam advertens, domum ita rubricatam praereteret, & omnes, solosque primogenitos Aegyptiorum interficeret, quod & fecit; jubente interitum Moysè, ut dum tanta perageretur strages, nullus Israelitarum è domo sua egredieretur. Surgens autem Pharaon nocte illa, cunctaque Aegyptus, invenerunt omnes primogenitos jacere exanimati: veriti autem, & ne ipsi pariter occiderentur, compulerunt statim Iudaeos egredi de Aegypto, sicque exierunt, durante adhuc nocte, ante ortum Solis.

Ad secundam respondeo Iudaeos jam jam egressuros, vasa illa argentea & aurea postulasse, & Aegyptios, praeter nimio desiderio quo optabant ut discederent, facile concessisse; unde propter nimiam festinationem qua cogebantur egredi, non potuerunt fermentare, quod argumento est, eadem nocte fuisse egressos.

Ad tertiam dicendum, duplicem distingui egressum filiorum Israel, alterum quando de terra Gessen, & singulis urbibus ac oppidis ejus, coacti sunt exire; & hoc contigit summo mane, ante ortum

A tum Solis diei decimae quartae, ut dictum est: alteram, quando jam in urbe aliqua congregati, omnes simul, ordinatè progressi sunt; & hoc contingit vesperare ad Solis occasum, in fine diei decimae quartae, quia urgebant semper Aegyptii; praemonuerat autem Moyses, in quem locum deberent congregari; & ad hoc necessarius saltem fuit unus dies, ut scilicet congregarentur.

Ad quartam respondeo, idèd Hebraeos dici exiisse de Aegypto, altero die ab esu Agni, quia ad vesperam lunae decimae quartae, Agnum comederant, & deinde sequenti mane egressi sunt de Aegypto.

ARTICULUS VI.

Nomina quibus hoc sacramentum insigniri solet, breviter recensentur, & ostenditur Agnum paschalem fuisse praecipuam eius figuram.

Agit S. Thomas art. 4. de nominibus quae huic sacramento tribui solent, & docet illa esse praecipue quinque: nam quatenus est commemorativum dominicae passionis, vocatur *Sacrificium*; ut est symbolum & causa Ecclesiae unitatis, *Communio*, vel *synaxis*; ut est praefigurativum fruitionis Dei, nobisque praebet viam seu auxilium perveniendi ad patriam, *Viam*. Item hoc sacramentum *Eucharistia* dicitur, quòd nomen à gratiarum actione dictum est; vel à bona gratia, ut volunt alii, & utrumque convenit huic sacramento, in quo mens impletur gratia, & praecipua gratiarum actio Deo redditur. Denique appellatur à Damasceno *Metalepsis*, id est assumptio, quia per illum Filii Deitatem assumimus, & fit veluti quaedam extensio Incarnationis erga singulos homines, ut docet Chrysostomus.

Plura sunt alia nomina, quibus SS. Patres hoc mirabile sacramentum insigniunt: Nam S. Ignatius Episc. ad Ephesios illud vocat *Gloriam Dei, & pacem Christi*, nec non *Pharmacum immortalitatis*. D. Augustinus lib. 1. de peccat. meritis cap. 24. *Vitam* illud appellat, & dicit hanc appellationem fuisse usitaram in Africa. D. Dionysius lib. de Eccl. Hierarchia illud vocat *Sacramentum sacramentorum*, & *Sacrificium divinitissimum*. Tertullianus lib. de pudicit. *Sacramentum benedictionis*. Ambrosius Episc. 31. *Caeli mysterium*. Origenes tract. 35. in Matth. *Verbum nutritorium animarum*. Athanasius, *Panem beatitudinis*. Isidorus Pelusiota, *Fontem immortalitatis*. Petrus Chrylogus, *Aeterna vita cibarium*, Prosper Aquitanus, *Poculum aeternitatis*. Augustinus, *Sacramentum spei*. D. Thomas, *Pignus fusurae gloriae*. D. Cyprianus, *Alimoniam immortalitatis*, & *vita aeterna portionem*. S. Cyrillus, *Vivificam benedictionem*. Rupertus, *Holocaustum salutis*. Chrysostomus, *Orbis terrarum decus*. Eligius, *Latitiam totius Trinitatis*. Demum D. Bernardus serm. in caena Domini, mirabili hujus sacramenti dulcedine illectus, in ejus laudem exclamat: *Potesse assimare quale vel quantum sit hoc Sanctum sanctorum, sacramentum sacramentorum, Amor amorum, Dulcedo omnium dulcedinum!* Illi concinit Mattheus Episcopus Wormatiensis, qui hujus Divinissimi Sacramenti laudes, praeclearis his Encomiis, eleganter & devotè celebrat: *Redemptionis memoriale, pignus hereditatis*

ditatis aeterna, futura iucunditatis amabile praludium, ar-
rha sponsa; locale divinum caelitus ei donatum; Ecclesia
militans cum triumphante suave glutinum, & unio fra-
terna, dum illam dulcedinem qua illa fruatur sine velamen-
to, ista habet sub sacramento; & si illa caelestis Ierusalem
habet Deum suum iucundius, ista in terra militans, habet
eum mirabilis.

121. Articulo sexto docet S. Thomas, sacramentum
Eucharistiae plures olim habuisse figuras, nimi-
rum oblationem Melchisedech, qui obtulit pa-
nem & vinum; Manna, quod habebat in se om-
nis saporis suavitatem, ut dicitur Sapient. 16. & va-
ria sacrificia veteris legis, praesertim sacrificium ex-
piationis, quod erat solemnissimum; sed praecipua
ejus figuram fuisse Agnum Paschalem; quia
perfectius representabat omnia quae ad ipsam per-
tinent: nam oblatio Melchisedech representabat
Eucharistiam solum quantum ad id quod est sacra-
mentum tantum, nimirum species panis & vini: Sa-
crificia veteris legis solum representabant Chri-
stum passum, qui est res hujus sacramenti; Manna
verò, ejus tantum effectum, gratia nimirum Eu-
charistiae dulcedinem & suavitatem praefigurabat:
Sed Agnus Paschalis quantum ad haec tria hoc sa-
cramentum representabat, quia manducabatur
cum panibus azymis, immolabatur ab omni mul-
titudine filiorum Israel; quae immolatio erat figura
passionis Christi, qui propter innocentiam dicitur
Agnus; & denique quia per sanguinem Agni Pas-
chalis protegi sunt filii Israel à devastante Angelo,
& educti de Aegyptiaca servitute; quae eductio er-
at symbolum seu figura liberationis populi Chri-
stiani à servitute peccati, per gratiam justificantem
quae in hoc sacramento copiose confertur: Ergo
Agnus Paschalis fuit praecipua hujus sacramenti
figura. Unde Apostolus 1. ad Corinth. 5. *Pascha no-
strum immolatum est Christus: itaque epulemur in azymis
sinceritatis & veritatis.* Ubi Glossa ex Augustino:
*Pascha transitus dicitur (inquit) quia tunc primum po-
pulus Dei Pascha celebravit, quando ex Aegypto Hebraei
fugientes, mare rubrum transferunt: Nunc verò figura illa
prophetica completa est, cum sicut ovis ad immolandum du-
ctus est Christus, cujus sanguine illinitis postibus nostris, id
est frontibus Crucis signo signatis, à perditione hujus saeculi,
tanquam à captivitate Aegyptiaca liberamur, & saluberrimum
transitum agimus, cum à diabolo transitus ad Chri-
stum &c.* Legendus est D. Gregorius homil. 22.
in Evangelia, ubi totum Agni Paschalis mysteri-
um explicat ex professo, & in gratiam resurrectionis
Dominicae, Pascha Christiano sigillatim ap-
plicat.

DISPUTATIO III.

De materia Eucharistiae.

Ad questionem 74. Divi Thomae.

Cum hoc sacramentum sit institutum per mo-
dum convivii, ad reficiendam spiritualiter a-
nimam, duplicem habet materiam remotam
& transeuntem, ex qua conficitur, alteram ex qua
conficitur corpus, alteram ex qua sanguis efficitur.
De utraque in hac disputatione dicemus.

ARTICULUS PRIMUS

Qualis debeat esse panis, ad conficiendam
Eucharistiam?

§. I.

Præmittuntur quae apud omnes sunt certa, & respo-
sententia.

Supponimus ut de fide certum, materiam remota
Scopus Christi conficitur, esse panem, idcirco
colligitur evidenter ex factis Christi Mart. &
Marci 14. & Lucae 22. ubi dicitur, Christum
pisse panem, & illud in corpus suum convertisse
sicque Ecclesia semper intellexit, ut traditur in Co-
ncilio Lateranensi cap. Firmiter, in Florentino, &
Decreto Eugenii, & in Tridentino sess. 13. & in
sacris fuitque praefiguratum in oblatione Melchisedech,
& ad Hebraeos 5. dicitur *Sacerdos in aeternum, iuxta
divinam ordinem Melchisedech.* Item Divina Sapientia
verb. 9. cunctos fideles ad Eucharistiam contrivens
invitans, sic ait: *Venite comedite panem meum &c.*

Per hoc excluduntur varii haereticorum errores,
quos refert D. Thomas hic art. 1. Quidam enim
dicebantur Artoxyritae (ut Augustinus dicit lib. de
haeresibus cap. 28.) offerebant panem & calicem
in hoc sacramento, dicentes à primis hominibus
oblationes de fructibus terrae & ovium fuisse cele-
bratas. Alii verò, scilicet Cataphrige, & Peperini,
de infantis sanguine, quem de toto ejus corpore,
minutus punctationum vulneribus extorcebant,
Eucharistiam suam conficiebant, miscentes tamen
farinam panemque inde facientes. His adjunguntur
Gnostici & Manichaei, quorum errores, pro-
pter modestiam, D. Thomas hic praetermissis re-
fertur: Hi enim in semine humano corpus Christi
conficiebant, ut de Gnosticis refert Epiphanius
lib. 26. Vel in pane humano semine confectio, ut
de Manichaeis refert Augustinus, lib. de haeresibus,
cap. 46. Eodem errore referunt Vidoius, & Be-
rardus, in scholiis ad Epistolam 54. S. Hieronymi, &
Bernardus Luceburgensis lib. 3. verbo *Pappa*, &
verbo *Quimiliani*, Soto in 4. dist. 9. quaest. 1. re-
ferens Thomam Waldensem tomo 1. de sacram.
cap. 19. & Laurentium Beyerlinch in theatro vitae
humanae, verbo *Eucharistia*. Item Garino tomo 1.
praescriptionum, lib. 4. folio 632. Unde in me-
mò Vazquez hic disp. 170. cap. 1. contendit, nisi
quam haereses illas extirpsit; imò nullam habendam
praeter errorem Graecorum de fermentatione, immo
solum fuisse circa materiam consecrationis corporis
Christi: hujus enim dicti falsitas, ex eo patet, quod
etiam his temporibus est Calvinistarum sententia,
panem & vinum ita esse hujus sacramenti materia-
as, ut tamen illis deficientibus, aliae possint esse
loco subrogari, ut omne esculentum, loco panis
& omne poculentum, loco vini, ut docent Beza &
pist. 2. ad Tillium, Polanus lib. 5. Synagoga
Theologicorum cap. 56. Scarpius de cenae lae-
controv. 3. quaest. 1. & alii. Quia & sibi narratum
à viro fide digno, refert Adrianus Hostadius, loco
22. de Eucharistia, non de fuisse Ministrum, qui in-
stulius panis deficientibus ad cenam pergeret,
singulis potretit orbicularem particulam sacra-
mentis, quod gallice *Saucisse*, sive *Boudin*, appelle-
tur.